

2
6
431







DISQVISITIO THEOLOGICA DE RITV AZYMI, ET FERMENTATI

SANCTISSIMO P. D. N.

CLEMENTI PAPÆ X·

DICATA

AVCTORE

Patre Frat. Francisco à S. Augustino Macedo Min. Obs. Lusitano: Magistro Conimbricensi: Lectore Sui Ordinis Iubilato: Professore Publico Patauino: Exlectore Regio Madriti: Pontificio Romæ in Collegio de Propaganda Fide, & in Alma Sapientia: Exqualificatore Sancti Officij Romani; Concionatore, & Consiliario Regis Christianissimi; & Serenissimi Lusitaniæ Regis Historico Latino: Veneto Ciue.

VERONÆ: M.DC.LXXIII.

Typis Rubeis, & Gambæ. Superiorum permissu.

PANEGYRICVS
SANCTISS. DOMINO NOSTRO
CLEMENTI PAPÆ X.
DICTVS
Pro Epiſtola dedicatoria eidem oblatus.

SIquis vnquam Pontifex documento mortalibus fuit Summum Pontificatum à Deo conferri, is tu ſanè fuiſti CLEMENS Optime Maxime, non modo præter opinionem alienam inexpectatus, ſed etiam contra proprij ſententiam animi inuitus electus. Nihil in tua creatione ſtudio partium datum, vbi Dei partes fuerunt, & induſtriam prouidentia, ſuffragia Spiritus Sancti afflatus anteuertit. Spirauit hic, vbi voluit. Traxit ſecum mentes, quò vaderent neſcias, ſed vocatas, & arcanæ voci obaudientes: de qua nefas eſſet ambigere. Priùs audierunt intus, quod foris per ora ſonuit, & illa tui declaratio Oraculum ex-

titit. Vix dum creatus Cardinalis Collegij limen attigeras, cũ in adyta compulsus; Sancta Sanctorum penetrasti, & euasisti Sanctissimus. Rapi te vidisti repugnantem eò, quò cæteri ascendunt volũtarij: passus es violentiam, vbi alij lubentes sederunt. Euectus es ad culmen nullo vestigio ambitionis relicto cui ne ambiendi quidem tempus fuit; imò nec locus cogitãdi de dignitate, quam præcipere vix poteras animo recèns Purpuratus. Itaque candidatus esse non potuisti, cùm te Purpura non antecesserit; eiusmodi quippe ea dignitas est, vt nemo illius cãdidatus esse possit, quin ante sit Purpuratus: quasi eam antecedere debeat modestus pudor, nec nisi pudibundis obueniat. At tu Clemens non pudibundi tantùm more, sed etiam moribundi ad fastigium ferebare: nec tam ferebaris ad culmen, quàm efferebaris ad Tumulum. Illum tu honorum cumulum, tumulum putabas. Luxisti te quasi mortuum in feretro, cùm luxisti in Cathedra Pontificia. Parentasti tibi Parens omnium constitutus. Flens, &

ge-

gemens restitisti ducentibus, & communi gaudio illacrymasti: nec ille erat vagitus nascentis, sed fletus Christo commorientis. Sūma illa dies, & propter supremum honorem tibi collatum, & iterum summa, propter supremū dolorem de eo susceptum videbatur. Flebas in Petri Cathedra, quòd Christū indueres, cùm Petrus antea fleuisset, quòd exueret; seu tu pecasse accipiēdo, quod ille deliquerat relinquendo. Verùm cū tu illo fletu indignum te, ac ineptum ad munus Petri obeundū fatebaris, tunc te Deus dignum, atque aptum ad illud administrandum esse testabatur: nam dum mare lacrymarum effunderes, Petrum te in mari esse declarabat, & Piscatorem in eodem te acturum significabat. Nec deerant retia ad piscandū; nam dū præcordia diluta per lacrymas effundebas, amoris retia, & charitatis vincula iaciebas, vt homines piscareris. Necesse tamen fuit lacrymis abstinere, ne videretur iniuria fieri Deo imperanti. Plorasti donec cōstitit te dolentem, & inuitū duci; cæterùm non licuit vltra plorādo tendere, cùm Dei volūtas per-

ſpecta iam eſſet, ac explorata. Viſa eſt ambitio quædam tui in Cathedram transijſſe. Nouo miraculo effeciſti, vt honor hominis eſſet candidatus: ille prehendebat deprecantem, ille tenebat fugientem, ac te frui volebat, nec elabi patiebatur. Ceſſiſti tandem, & conſenſiſti. Obediſti vt imperares. Ad ſummi culmen Imperij certus obedientia gradus fuit. Quanto plauſu tuus eſt exceptus aſſenſus! Communia priuatum tuum votum expetebant, & expectabant ſuffragia. Omnium ſumma in eo erat. Publica elicuerat à voluntarijs tua virtus; tuum ab inuito, qui te dignum negares, extorquendum multorum vi fuit. Singularis illa prærogatiua Pontificiæ electionis illa eſt, quòd in alijs ſatis ſit eligi dignum, in hac neceſſe ſit eligi digniſſimum ex digniſſimis, cuiuſmodi ſunt Cardinales, atque adeo digniſſimis digniorem. Talem te ipſi iudicarunt. Hoc argumentũ probat electionem à Deo eſſe, quòd qui erant digniſſimi, quem elegerunt ſibi præferendo incomparabilem

re-

rediddcrunt. Et quotus quiſque eſt qui alterum ſeſe digniorem putet, cùm ſit ipſe digniſſimus? Hoc tu cæteris mirabilior, quòd cum omnes te dignitate præcurrerent, ceſſeruntvirtutibus, quarum in te tantus concurſus fuit, vt nemo tecum auderet concurrere. Imo ne locus quidem concurrendi datus eſt, cum tu ante curſum in meta conſtitiſſes, & culmen obtinuiſſes, nullis honorum gradibus, ſed cumulo meritorũ. De nomine conſultus CLEMENTEM appellari tevelle dixiſti, vt recèns defunctiClementis memoriam renouares, & grati erga eũ animi ſpecimen præberes, illumque viuum, quo ad fieri poſſet, præſtares: vt in locum defuncti ſuccederes, quem in te ſuſcitares: commutaturus cum eo, ſi liceret, vitam, cuius nomine tuum mutabas. Et quamquam iuſta electio tua eſſet, Clementi tamen eã aſſignarevíſus es velle, cum CLEMENTIS nomen aſſumpſiſti. DECIMVS iure optimo futurus, quòd hic numerus magnum perfectionis pondus

no-

mini afferebat. Ecquis ignorat dignitatē Pōti ficiam esse piscatoriam, & maritimam, & in mari decimū numero fluctum nono posteriorem, esse maximum; propterea dictū Decumanum. Hic fluctus absoluit numerū aliorum fluctuum, estque omnibus numeris absolutus. MIRABILES ELATIONES MARIS Pontificij: MIRABILIS IN ALTIS DOMINVS. Elationis fluctus Pontifices esse constat: hi efferuntur, ac pertingunt astra, eo mirabiles, quòd Superis committuntur, & Vicarij Christi effecti cū eo vices partiuntur. In his omnibus ALTIS mirabilis Dominus, sed in hoc DECIMO mirabilior, quòd hic altior est, & elatior, non quò despiciat reliquos, sed quò suspiciatur ab ōnibus. Itaque nomen Alterij deposuit gentilitium Familiæ, quod, Italicè tumorem quen dam, fastumque sonabat, & illud clementia inuoluit, & macerauit ad humanitatem. Retinuit tamen CLEMENS clementem significationem nominis ALTERIVS, idest, non sui proprij cōmodi, sed alterius, vt non sui natus sit causa, sed alterius cuiuscumq; vt quicumq;

vt

velit tua vti operā, eam tuo à te iure, quòd sis alterius iuris, non tui possit exigere, eamq; tu negare non possis. Igitur alterum te in altero quæsiuisti ex tuis, qui ALTERIVS esset vice tui: is est Eminentissim. Cardinalis Princeps ALTERIVS, quem tuæ menti brachium addidisti, qui bono Reipublicæ cōsuleret, seque totum ei impenderet, vt nihil suum retineat, & omnia in cōmune conferat, & sua destituat, quasi sint alterius non propria, quo ille in dies magis fit tuus, cùm à suis est alienior, & propior alienis. Ille demū propriè Pater, & Pastor, & Princeps, qui totum se donat alijs: ac nihil sibi sumit præter laborem. Id iam olim præstiterāt Maiores tui, celeberrimi Heroes, domi clari, foris admirādi, quorum fumosæ imagines Astra gentilia venerabili antiquitate inuoluunt: generosis inter Gotthica stemmata accensis ignib⁹, quos Ottho Primus Imperator & Magnus halitu suo Regio ad gloriā Germanici, & Italici nominis excitauit, & vertit in Sydera, quibus Augusta Diademata scintillarūt. Altius tamen Imperatorio culmine il-

ne il-

illud fastigium fuit, quod Romæ in Capite Orbis supra Capitolinum Cliuum eminuit, cùm Stephanus Octauus gentilis tuus in Summi Pontificatus apice constitutus vicem Dei gerens, viciniam Superum sensit, & innocentem animam spiritus Sancti afflatibus inhalauit. Auxerunt Sanguinea paludamenta purpurata Conchylia, roris cælestis gemmea germina, obryzo nobilitatis auro inclusa, quæ iustos Alterij maris tumores gloriosè inflarunt, & pretiosa familiæ tuæ monilia formarũt. Illi: Petrus, Victorius, Cornelius, Ioannes Baptista Cardinales, qui Ecclesiæ Cardines, Ostium tibi venturo apertum iri portendebant, per quod ingressus ad Petri solium gradereris, & Claues Cæli, & Terræ occupares. Hunc tibi Clemens locum alter alteri succedendo præparabat, donec tu opportunè aduenisses omnium numeros impleturus, & honorum cumulum adepturus. Prouisum tamen est à Deo, vt per gradus ad culmen cùm euolare posses,

pau-

paulatim incederes, ne quod meritorum præmium erat, fortunæ beneficium videretur: ac vt nobis à te impressa extarent vestigia, quæ indagata ad omnem nos virtutem erudirent. Primum in Polonia impressisti iuuenis, Lancellotum secutus Nuntium, teque Angelum Angelo vltra necessitudinem sanguinis addidisti, animo, quàm corpore coniunctior. Tam illud feliciter munus gessisti, vt dignus Episcopatu viderere. Igitur Camertum creatus Episcopus. Quos vt regeres, Patriam reliquisti: Domo amplissima caruisti: Romanis delicijs renunciasti: supposuisti humeros oneri, ouium memor, tui oblitus; nullam passus errare, nullam indigere. Cùmque abundares virtutibus, angusta illa visa est Vrbano Pontifici Optimo, & Pastori vigilantissimo pro earum magnitudine Prouincia. Quare Marchiæ ab eo Præfectus, latiùs per Picenum in apice gloriæ lucem tuam effudisti, quæ tanta fuit, vt obumbranda feliciter Laureto

§ illo

illo Virgineo videretur. Nidulata inter lauros Picenas Columba, monuit INNOCENTIVM DECIMVM PONTIFICEM vt Alterium Neapolim Nuntium mitteret, Oliuam opportunè rostro præferentem, quasi futuros illos seditionum motus, & pernicialium armorum tumultus, qui in eo Regno acciderunt, præuideret: in quibus ille ita se gessit, vt è Nuntio in Angelum pacis versus factiones sustulerit, arma compresserit, & bellicas tempestates infusa luce prudentiæ serenaret. Itaque Romam rediens à Sacrosanto Cardinalium Collegio dum Sedes vacaret, ne quid in eo vacuum honoris esset, Prælatura decoratus, & Mutinam ire iussus, vt exurgentes in eo statu armorum irruptiones compesceret, & iniectu Romanæ Togæ inuasiones bellicas partim auerteret, ne ingruerent: partim, ne serperent, propulsaret. Nouit Alexandri, quæ tum Romæ lucebat, Stella, senorum syderum Alterij lumen: illa prouocauit, & in Sancti Officij firma-

men-

mento lucere voluit, cuius Alterium Consultorem creauit. Tanta enim erat in eo lux consilij, vt splendorem tot in illo præclarissimo Tribunali collucentium syderum augere posset. Facile est in obscuro lucere; at in Meridie radiare vnius Solis est, qualem Alterius præseferebat, & lucendo probabat. Vbique ingentem se Virum gesserat; sed in arduo, & difficili munere gerendo, nimirum à Secretis Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium Heroem gessit. Nullum Romæ laboriosius, nullum impeditius, nullum negotiosius Tribunal est propter grauitatem, multitudinem, difficultatemque causarum eò concurrentium, quæ cùm ad Vniuersæ Ecclesiæ Principes, & religiosos Ordines pertineant, multiplicem, & difficilem tractationem reddunt. Secretarij partes sunt suscipere, recognoscere, diuidere, in ordinem redigere, & Patribus singulatim proponere, quod certè fastidiosissimum, & difficillimum esse vide-

tur. Deinde fores Domus, & aures Domini patere ſemper omnibus vndecumque venientibus debent. Magna certe opus eſt longanimitate, & patientia. Deinde quantus eſt labor in expoſitione cauſarum, in conſideratione iurium, in expeditione negotiorum? vt dictu difficile, nedum factu ſit. Ita ſe tamen in hoc munere geſſit Alterius, vt partes diligentis, & fidi Secretarij impleret, ac nihil omninò præteriret eorum, quæ ad fidem, diligentiam, induſtriam, integritatem pertinerent. Idque eò magis mirandum, quòd diu eo munere functus eſt, tanta apud omnes commendatione, vt cùm illius adminiſtratio inuidiam parere ſoleat, ea tamen illi gratiam conciliarit. Patientia, & claritudine viri motus Clemens Pontifex IX. eum inde abſtractum in Palatium tranſtulit, & Cubiliarcham ſuum [Magiſtrum Cameræ vocant] creauit, & illuſtrem aditum ad Purpuram fecit: quam ei morti iam vicinus afflatu quodam æternitatis incita-

tus

tus contulit, vt eum ornare, ac præpārare ad Pontificatum videretur. Nec alius post obitum Clementis Noni Pontifex potuit, nisi CLEMENS DECIMVS Ecclesiam optimo Parente orbatam recreare, quem ipse, & indole, & moribus indiscreta similitudine referebat. Et verò iam pridem te CLEMENS Optime Maxime Principis Vrbis Romæ fortuna vocabat, & Capitolium, cui vicinus eras, cerebrum suo in te capiti desiderabat. Clypeus ille tuus Gentilitius senis scintillabat Syderibus, quibus duodena ancillarentur Ancilia. Iam tum videbantur illa faustis splendoribus in Vrbe dominari, & quendam veluti Senionem, sed Astrorum, non Astragalorum felicissimum præseferre, extra Canem, intra Leonem iubatum radijs, & radiatum iubis ad Orbis Imperium comparatum. Felix Vrbi omen: Stellæ sex numero. Quinque sunt Christi Seruatoris vulnera: pœnarum

hic

hic numerus habetur index. Sex Stellæ contrà fortunatum numerum exhibent: ad gloriam pertinet iustus, firmus, & constans. O miram CLEMENTIS DECIMI felicitatem! Respondet plagis quinis Stellis senis: illustrat plagas, & addit gloriam additamento Syderis. Gloriatur Lupa Romana tot Astris, & irridet Vrsas Cælestes. Hæ duæ Stellis contentæ, Stellæ ipsæ: Lupa sex illustrata vltra Stellam eminet, & coruscat. In hoc senario fundata Roma, Ciuitatem illam supremam, quæ apud Superos est, Hierusalem prouocat ad certamen immortalitatis. Hæc in quadro posita est: illa in senario perfectiùs constituta. Nunquam Roma clariùs splenduit, nec latiùs micuit. CLEMENTIS Astra vltra sortem Astrorum alia pepererunt. Quem latet Astra esse infæcunda, & lucem illam prole carere? lucent solitariè de nocte, & quasi sterilitatis pudeat, diem non ferũt: erubescunt quippe, & tenebris se inuoluũt pudibũdæ: diurnæ Lucis, ac Lucinæ

ex-

expertes, masculi luminis inexpertæ: femineo Lunæ obnoxiæ. Immortalitas solatio est: ea pensatur fæcunditas: perire nequeunt, quando gignere non possunt. Verùm Stellæ CLEMENTIS Romæ suos quotidie fœtus edunt. Nusquam plura inuenies Stellata Stemmata. Percurre Vrbem, & stellantem videbis. In CLEMENTIS sinu Stellæ nascuntur, & quidem à Sole extra noctem: nec ab eo occultantur, extinguunturue; imo conduntur, ac extant, & Soli Clementissimo collucent. Ciues: alienigenæ: vrbani: peregrini radiantur, fortunantur. Nemo alibi sine crimine viuit, nemo Romæ sub CLEMENTE DECIMO sine lumine viuit: adeo vt si ego ipse Panegyristes Syderis inscius, felicitatis ignarus, qui nullum vnquam Astrũ in Cælo vidi, hoc tuo tempore Romæ fuissem, sperare possem aliquem benignum afflatum Syderum tuorum, si eius capax essem. Verùm tam induruit fortuna mea, vt à nullo vel Clementissimo affluxu Astro-

rum

rum possit emolliri ; nempe intra Mundum viuo , sed extra Cælum , nec ad me attinent Sphæræ illæ Cælestes , quarum nihil sentio præter volubilitatem . Redeo ad te CLEMENS Optime Maxime. Cum te video ex illo Capitolino apice dispensantem Tiaras, Trabeas, Lemniscos, Purpuras, eius mihi, cuius es Vicarius in mentem venit, qui inter septem candelabra, Stellas septem, ideſt plu-
Apocal. 1 rimas, in manu habebat seminantis more, quasi eas vbique spargeret ad fructus vberrimos ferendos. Tu primus Stellas frugiferas protulisti, & annonam sydeream inuexisti. Sterile Cælum fœcundum reddidisti. Tuta est te Principe annona Reipublicæ, qui dispensas in culturam sydera. Ausa est sub te fames tentare Vrbem, huic malo à prima sui molitione assuetam: sed deterrita Stellarum affluxu tuarum à limine resiliuit, & fugit. Omnia sunt Romæ Ciuibus cara, te Principe, præter annonam. Cuncta efficis nobilia: sola annona

vi-

vilis est. Nec Stellæ tuæ Domi sunt fixæ, & affixæ Vrbi: errant peregrinando per totum Orbem Catholicum, instar Planetarum sine errore vagantiũ, & benignos influxus vbique dispensantium. Miraculo dandũ, quòd in eodem consistens loco, in omnes partes beneficia dispertis. Verè scintillant Stellæ tuæ, quòd scintillas ex se deciduæ lucis emittunt, vt illustrent, & foueant subiectos; nec trepidare quisquam videat, cùm bene faciunt, sed exultare, ac tripudiare. Timere videntur illæ, ne donando, quicquã amittant de proprio. Tuæ gaudent cùm donant de suo, quòd propriũ putant, quod alijs donant. Imitaris Solem, qui lucem impartiendo crescit, lucendo etiã luce aliena, quæ in eundem redeundo pelagus eum lucidũ esse testatur, à quo manarunt fulgida, & ad quem reuertuntur. Et verò quot tu, & quã præclara Patrũ lumina in Purpureo illo Cardinaliũ Cælo Creasti! vt videatur Diuina prouidentia breui tibi tempore locũ aperuisse creãdi quãplurimos, quòd tu eligeres lucidissimos.

¶ Qui

Qui & quam ſplendidi à te Nuncij ad Chriſtiani Orbis Principes miſſi? quos qui videt expreſſam in ijs Angelorum imagines intuetur; & qui vices gerunt Angelorum, Dei te Vicarium atteſtantur. Iam verò is tibi obtigit Cardinalis Nepos, Princeps Vrbis futurus, qui alter ſit ALTERIVS ad genium compoſitus tuum, idea prudentiæ, norma iuſtitiæ, exemplar virtutis, Vrbis deliciæ, Populi amor. Eum tibi Datarium prouidiſti, qui cùm ſacris gratijs ſit diſtribuendis præpoſitus, nihil gratiæ dat, ſed omnia meritis aſſignat. Verè Carpigna carum pignus tui, vltra ſuas, quas diſpertit gratias, gratioſus, quem carpere poſſit nemo propter morum ſuauitatem. Ex his reliquos Purpuratos diſcat, qui volet. Vna omnibus mens, vnum conſilium, vnum inſtitutum: rectè adminiſtrare, ſtrenuè tueri, latè propagare Eccleſiam. Quod priſca Roma facere armis ſolita: Imperium extendere, id ſuo tempore CLEMENS doctrina facit: Chriſti fidem diffundere,

&

& Regnum Christi proferre. Eò totus Senatus Purpureus suas cogitationes, curasq; intendit, à Magna Clementis anima impulsus: in quem Senatũ si Cyneas ille Pyrrhi Legatus incidisset, non ex Regibus, eũ vti Romanum, sed ex Pastoribus constare dixisset, qui non regunt, vt imperent, sed vt consulant, pascunt. Emendauit hic Senatus vitia Romani antiqui. Illi qui more Regum administrabant Rempublicam, sæpè inter se de Imperio certarunt, & Ciuilibus bellis lacerarunt Rempublicam: discordes animis, armisque; hi quia Pastorum instar Greges suos pascunt, numquam inter se dissentiunt: summa eorum est concordia eodem animantur spiritu, vni adhærent Capiti: vnde fit, vt nequeant diuidi, & certare mutuò, cùm sint membra eiusdem Corporis, & eodem animatu agitentur, quæ in vnum Corpus coalescunt. Qui solitarios aspiciat, Principes putet: qui congregatos, Fratres existimet. Romana Curia speciem Cænaculi exhibet. Di-

uersæ sunt loquentium linguæ, sed vnus consiliantium sensus. Sedet super capita ignea lingua, quæ ad cerebrum vsque penetrans, & in ora descendens harmoniam reddit sententiarum: quas arcano Fidei pulsu, dum corda, ceu chordas percurrit ac percutit Spiritus, elicit ad concordiam. Hinc totius Orbis Christiani administratio pendet. Hac intelligentiarum opera impellitur Catholicæ Cælum Reipublicæ, & motus suos peragit, planè Cælestes, ad quietem illam beatam obtinendam comparatos. Tu Clemens Superis vicinus, Dei Vicarius, halitus Diuinos suscipis, & impertis Concilio Patrum, in quo deciduntur Ecclesiasticæ Controuersiæ, quæ ad te decisæ redeunt, vt confirmentur, & confirmatæ vulgentur, ordine quodam luminum Angelico, vbi alij, alios illuminant quadam vicissitudine luminosa. Cuius fons à summo Luminari descendit, & in riuos splendidos deriuatur. Congregationes Cardinalium in hoc Mari Eccle-

cle-

clesiæ, non tam sunt Aquarum, quàm Stellarum: expertes fluctuum, quòd nulla ibi sit fluctuatio, vbi suffragia sunt constantia: vbi nemo circumfertur vento doctrinæ, sed in Petra stabili consistit. Tu verò, CLEMENS Optime, loco non moueris, & Patres te immotum, & immobilem circumsistunt: circuis tamen Orbem doctrina, & potestate, quemadmodum descripsisse videtur Ioan: Apocal. 5. Thronum illum Dei cum Libro sedentis, quem Seniores, & mystica Animalia circumstabant, vbi Agnus Clementiæ Symbolum, apertis Libri sigillis edebat oracula ad omnes Ecclesiæ partes septeno illo numero significatas, & septem Romanis Montibus expressas pertinentia: ea ratione, vt septem extarent Cornua insignia potestatis, & septem vibrarent oculi prouidentiæ indices, qui sunt Spiritus missi in omnem terram.

Eo

Eo documento, vt ſtans firmus vti Petra, totam Mundi vniuerſitatem, & Cornibus auctoritatis ventilare, & Oculis doctrinæ perluſtrare videretur. Iam verò ille Agnus, Clemens te, ò CLEMENS Pontifex, repræſentat, qui verè Petri ſucceſſor, Dei ſedes in Throno, præ te ferens Librũ Doctrinæ, cuius arcana verſa in Oracula Patribus circũſedentibus aperis, ac exponis, ut illorũ cõgregatorum interuentu in totũ Eccleſiaſticum Orbem mittantur plena dignitatis, plena veritatis. Quis enim ignoret eos in ſuis Congregationibus omnium Eccleſiarum negotia expendere, diſcutere, expedire, ac ea conficiendo, & euulgando omnes Mundi Prouincias circuire, quibus tu, CLEMENS Optime, ſeptem Spiritus, ideſt ſeptem Sancti Spiritus Dona, ab eodem accepta diſtribuis, ac impendis. Itaque ex iſto, in quo emines Throno totum Orbem peragras, & doces: Deum imitatus, qui vbique eſt per præſentiam, eſſentiam, & potentiam: tu vbique per ſcientiam, au-

Apoc. 3.

cto-

ctoritatem, doctrinam. CAPVT tuum CIRCVITVS EORVM; circuis quippe Fideles, eosque per omnes Mundi Regiones dispersos consilijs, iustitutis, præceptis, monitis comprehendis. Vide quantum sis Caput, vt impleas Mundum, imo & Mundi circuitus breui tui Capitis circulo concludatur. Gloriæ datum in doctis fabulis Atlanti sustinere Cælum, succollare Orbibus, succumbere Moli Stellāti, cuius tantummodo baiulum agebat. Nam nihil ille mouebat, regebat nihil. Sphæræ alieno Intelligentiarum impulsu mouebantur: Sol, & Luna simul cum Orbibus rapiebantur: Astra intrinseco motu trepidabant, nutibus proprijs scintillabant: influxus cum radijs erumpebant: vnus tantùm onus portabat Atlas, & pondus iners sentiebat: sub eo gemens sudabat, & anhelabat, ceu inuitus aliena beneficia dispensaret. Longe aliter CLEMENS DECIMVS decimo par Cælo primi mobilis vicem gerit: omnes Christia-

Psal. 139.

stia-

ſtianæ Reipublicæ Orbes arcano motu ciet, & voluit, & ſupremæ Intelligentiæ partes obit, diſpenſat lumina, & influxus, & magnæ inſtar animæ inſinuat ſe per venas Syderum, & Planetarum, & beneficentiæ vigorem infundit, & cuncta ſpiritu, & halitu replet vitali: vt nihil viuat, nihil ſplendeat, quod ab eo non deriuetur. Agilis rotat, alacer ciet, libens regit, lubens adminiſtrat: Cælum inclinans, vt pronum ad indulgentiam reddat. Eo Atlanti ſimilis, quòd omnia impertit alijs, nihil ſibi reſeruans præter munus: eo rurſum diſſimilis, quòd in obeundo munere pondus non ſentit. Irrequietus, vigil, in omnes partes intentus excubat, & Petri Nauiculam tutam, & quietam præſtat. Olim Chriſto dormiente Petri Nauicula in medio Mari iactabatur fluctibus. Cum quieſcit Nauarchus inquies eſt Nauis: agitatur ventis: concutitur procellis, fluitat, fluctuat: illa requies vndoſum tumultum parit. Nauarchi vigilantia comprimit

ven-

ventos, compeſcit fluctûs, tranquillat Mare, ſecundat curſum. Somnum cùm excutit Nauarchus eum transfert in fluctus, & dormit Mare. Numquam ſalubriùs, & feliciùs quieuit Eccleſia, quàm hoc CLEMENTE DECIMO Pontifice Nauarcho. Quod miraculo dandum. Cùm totus Orbis procellis bellorum agitatus, turbatur, commouetur, tumultuatur, Romana Eccleſia conſiſtit, quieſcit, ſilet, tranquillitate fruitur, & ſecundiſſimis vſa flatibus feliciter nauigat, & in omnes Mundi partes mirè propagatur. Dum alij bellant, ea pace Chriſtiana potitur, & beatur. Quid enim pace illa beatius? quam Chriſtus beatitatem inchoans commendauit, & iam adeptus beatitudinem renouauit. Hæc eſt ſcopus Clementis Papæ. Pacem vnus omnes Chriſtianos Principes poſcit. Rogat quæ ad pacem ſunt Hieruſalem. Angelos pacis

 Nun-

Nuncios ſuos, & Legatos mittit, qui pacem ſuadeant, qui diſcordiam tollant, qui bella componant; & quòd bellicoſos inuenit, & belli auidos, ad alia bella concitat ſalutaria, glorioſa, nimirum, vt in Turcam Arma conuertant: eumque communem hoſtem debellare pergãt: quem nos incauti noſtris armis armamus, noſtris viribus confirmamus, qui per noſtras ruinas triumphabundus ingreditur. Satius eſſet copijs, quas in ſe Chriſtiani Principes mutuò belligerantes paratas habent, in eum ruere, refrenare, fugare, vincere, & poſteà inter ſe dimicare. Arcete illum hoſtem, qui veſtris proficit cladibus, eoque repulſo ad arma redite paria, & citra periculum ſummæ Chriſtianæ, cui verſutus ille inſidiatur. Occaſionem expectat, vt acciſis veſtris opibus ſingulos aggrediatur: & fractos, ac diſtractos certiùs, tutiùſque conficiat. Hoc ex Arce illa vicina Superis præuidet Clemens, & ne accidat precando, monendo, ſuadendo prouidet,

ar-

arma, & opes conferre promptus, si in Turcam Principes conspirent Christiani. Id quidem re præstitit, cùm Poloniæ Regnum malè concors, diuisum, dissipatum coagmentauit, turbatum Turcarum incursibus recreauit, sterile, & infœcundum populationibus hostilibus redditum, infuso auro Pontificio irrigauit. Interim dum nequit Ciuilia bella compescere, precibus vacat, & Deo quotidie litat, & incruento Sacrificio propitiat, vt velit obstinatas mentes ab Armis auertere, & in verum hostem conuertere. Tollit ad Cœlum pias & lentas ob animi mærorem manus, & Moysis instar, Diuinum implorat auxiliũ. Pro communi salute incruentam Hostiam in Ara mactat domi, vt foris cruenta prælia vel auertat, vel extinguat: futurus victima, si opus erit, ad Aras mactanda. Felix Ecclesia, si ille tantum apud nostrates, quantum apud Superos posset: in aurea planè hoc tempus ferreum secula transijsset. Hoc tamen solatio sit tibi, CLEMENS

Optime, quòd Leo ille Belgicus, qua parte rebellis collum tuo iugo ſubtraxerat, reflexa ceruice Lupam Romanam reſpicit, pudibundus, & tumores ſecundarum olim rerum afflatu collectas grauibus contuſus ictibus deponit. Poſt Aram Petri relictam, ad Aras medijs in fluctibus inuentas, Acroceraunijs infeliciores, illiſus miſerrimè naufragatur. Cæterùm, Clementiſſime Pater, omnes tu Pontificij tui muneris partes imples, & in hac tua exacta ætate extremum iſtum actum feliciter agis, ſupra ſortem, & vires ſenectæ, priſci æui frugalitatem retines: nihil peregrini ſaporis in ferculis, nihil ignoti velleris in veſtitu, nihil exquiſiti condimenti in patinis, nihil ſucci delicati in poculis: nihil accerſitæ mollitudinis in lecto reperitur tuo. Simplex cibus, vulgaris habitus te delectat, niſi cùm induis Deum: tunc quippe hominem exuis, & mortalem ſpeciem deponis, & maior quàm pro humano habitu incedis, & verè aſpectu, & in-

ceſ-

cessu patescis Deus. Domi priuatus, hominem te esse scis; foris Papa, supra hominem esse te nosti. Doctus Augustam Personam, & sumere, & reddere. Dignitatem, & auctoritatem nunquam deponis, Maiestatem, & pompam interdum, quòd ad speciem pertinet. Dignitas quippe, & Auctoritas intus hæret, & nequit separari. Maiestas, & pompa accidit, & auferri potest. Virtutum mirabilis in te concursus, & ex concursu contentio; certant de primatu in Principe Orbis inter se virtutes, & tenorem suum grata vicissitudine seruant. Grauis, non durus: seuerus, non asper: humanus, non facilis: dulcis, non fluxus: suauis, non remissus: blandus, non lentus: venerabilis intra amorem, amabilis intra reuerentiam, conspicuus extra ambitionem. Aspectu tuo omnes allicis, sola vitia terres, in tuo vultu virtus videtur habitare. In te aspiciat, qui videre velit pietatis imaginem. Nemo ad te accedit nisi cū expectatione,

ne-

nemo à te recedit, nisi cum admiratione. Qui ad pedes procidunt tuos, eos non magis grauitas dignitatis, quàm pondus amoris inclinat. Volant ad eos osculandos, sed post oscula morantur, quòd affigantur affectu. Multi ad te veniunt peregrini, sed nemo redit alienigena, quòd amore reddis tuos, & ipsi in tuum ius lubentes transeunt. Ciues Romani efficiuntur, non iure Legum, sed amoris priuilegio. Vbique imperares Clemens, si vbique posses videri. Nemo non optaret Dominum, qui sentiret Clementem. Ex quo imperare cœpisti, leges siluerunt. Tu viua Lex: expressa moribus, animata exemplis. Amor obsequij præstat Officia, & omnia iura in Clementinas transierunt. Alij administrarunt Romanam Rempublicam, tu beasti. Parum est dixisse

Romanos rerum Dominos, gentemque Togatam:

Tuo tempore, CLEMENS Optime, contigit dicere

Romanos rerum Dominos, gentemque Beatam.

PRO-

PRO DEDICATORIA.

HOc ego tibi, Clemens Maxime, dicto Panegyrico, meum hoc tibi opusculum dedico de Ritu conficiendi in Azymo, qui cùm sacer sit, & à Christo institutus ad te pertinet eiusdem Vicarium: in quo Pane facis quotidie, & facis vt eum esse credamus, quo omnes à Christo ad te vsque Pontifices sunt vsi. Per manus quippa eum acceperunt, & ad te Pontificem transmiserunt. Itaque quod ego dictis probo tu confirmas manu, & meam, dum Sacris operaris, doctrinam tradis, & Traditionem Vniuersalis Ecclesiæ testaris: & virtutibus tuis Azymo veritatis, & sinceritatis, innocentiæ, bonitatis, concordiæ charitatis, clementiæ, & integritatis testimonium reddis: quarum in Azymo species est, & symbolum: in te res, & idea perfectissima, in quam intuemur, quam admiramur, qua erudimur. Verum quia Panis Azymus ad Sacrificium spectat, ali-

quid

quid dolores sentimus, & aliquid in te desideramus. Dolemus quippe mortalem te esse, desideramus in te immortalitatem. Mallemus, vt sicuti Deum dignitate refers, ita & eundem immortalitate referres. Sed ne hac tu quidem parte Deo esses dissimilis, mortalis esse debuisti, cùm Deus homo esse voluerit, atque adeo mortalis fieri: itaque non posses eum, nisi mortalis esses, repræsentare; etiam in morte Diuinus. Atque hìc ego supplex ad tuorum pedum oscula ruo, & per os demissa vestigia imprimo cordi meo, vt vbi fōs est vitæ meæ, ibi tua sit infixa æternùm memoria.

Veronæ in Conuentu S. Bernardini. Prid. Kal. Octob. M.DC.LXXIII.

SANCTITATIS TVÆ
MEDIASTINVS

FRAT. FRANCISCVS A SANCTO AVGVSTINO MACEDO.

LE-

LECTORI BENEVOLO.

SEsquiannus est, quòd hoc opus Patauij multorum rogatu composui, cum primùm liber Rerum Liturgicarum Eruditissimus Auctore Eminentissimo Cardinali Bona, Viro omni doctrinarum genere excellenti in lucem prodijt. Seriùs euulgaui, quod expectanda fuit facultas à Supremo Sacrosanctæ Romanæ Inquisitionis Officio, ad quod illud, vti par erat, Eminentissimis illis Patribus recognitum miseram. Inscripseram *Diatriba Apologetica*, sed relato in melius consilio, inscriptionem mutaui, ne res contentiosa videretur, & *Disquisitionem Ecclesiasticam* appellaui: Methodo facili: dispositione apta: dictione perspicua: stylo candido: citra dicacitatem: charta prorsus edentula. Affirmo traditionem Azymi: confirmo ritum auctoritate, rationibus, exemplis: remoueo nebulas: dissoluo obiecta: conieturas maximam partem retorqueo. Fermentatum non improbo, aptum & idoneum fateor, sed minus Azymo Altaribus congruentem: Græcorum ritum non damno. Scio tutum esse, & licitum per Latinam Ecclesiam, à Concilio Florentino probatum. Præfero tantùm Azymum Fermentato, vt hic sit inculpatus ille commendatus. Itaque Azymi originem vindico: vsum assero: præstantiam indico: eum typis exprimo: figuris adumbro: ornamentis afficio; & quæ meæ præcipuæ partes sunt, illius initium ad Christi exemplum in Cænaculo instituentis Eucharistiam refero, & ab eius manibus acceptum ab Apostolis, & ab his ad Ecclesiam transmissum affirmo. Addo non modo Latinam, sed etiam Græcam per decem, & eo amplius secula illum ritum obseruasse. Idque certissimis Sanctorum Patrum vtriusque Ecclesiæ testimonijs scriptorum omnium sententijs indubitatum efficio. Pugno Sacratiùs, quàm olim Romani pro Aris, & Hostijs, & sicuti incrementum Eu-

chariſtiæ Sacrificium eſt, ita ſiue aculeo, & citra ſanguinem ago. Quod ſi aliàs ardentius, & acriùs egi, mihi condonandum, quòd dolore perculſus minus mihi temperaui memor illius Bernardi ſententiæ lib. 2. de conſiderat. *Hebetati cordis indicium eſt propriam non ſcentire vexationem*. & quidem; *vere magnus eſt, qui inſidens naduerſa non exidit, vel parum à ſapientia*.

Cont. Iou. Ac vt cum Hieronymo dicam illa, *Scripſi dolentis Magis animo, quàm ſcribentis*. Cæterum *propoſitum mihi fuit* (vt cum eodem Hieronymo dicam) *non ad meam voluntatem ſententias auctorum trahere, ſed id dicere quod eos velle intelligebam. Scriptoris officium eſt, non quid ipſe velit, ſed quid ſentiat ille, quem interpretatur exponere*. Vnum te ſcire velim, mi Lector, quæcunque ſcribo, in ijs me Veritati litare. Vale.

NOI REFFORMATORI DELLO STVDIO DI PADVVA.

Hauendo veduto per fede del Padre Inquiſitor nel libro intitolato, Diſquiſitio Scholaſtica poſitiua de Azymo, & Fermentato, Auctore P. F. Franciſco à S. Auguſtino Macedo Min. Obſeru. Lectore Publico Patauino, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſsi eſſer Stampato, oſſeruandoſi gl'ordini, &c.

Dat. li 25. Agoſto 1673.

[Aluiſe Contarini Cau. Proc. Ref.
[Angelo Coraro Cau. Proc. Ref.
[Battiſta Nani Cau. Proc. Ref.

Gio: Battiſta Nicoloſi Segret.

ELEN-

XIX

ELENCHVS CAPITVM

Caput. I.

Cap. II

Cap. III.

Cap. IV.

Cap. V.

Cap. VI.

Cap. VII.

Cap. VIII.

Cap.

FINIS.

DISQVISITIO ECCLESIASTICA DE PANE EVCHARISTICO

VTER SIT

Azymus ne, an Fermentatus, Commendatior, conuenientior, celebratior?

CAPVT I.

Consecrandi in Azymo Traditio ab exemplo Christi in Azymo conficientis profecta.

ILlustrem nobis ad causam aditum faciat præclara illa August. lib. 5. de Baptismo contra Donatist. c. 24. sententia. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Eiusmodi esse consuetudinem conficiendi in Azymo Eucharistiam, affirmant tres Romani Pontifices Leo IX. Epist. 6. ad Michaelem Episcop. Constantinopolit. Gregorius VII. Epist. ad Simandensem Episcopum Armenorum: Innocentius III. lib. 4. de mysterio Missæ c. 4. quorum testimonia suis concepta verbis posteà referemus. Eadem Sanctorum Patrum, Interpretum Sacræ Scripturę, Auctorum Controuersiarum, Scriptorum rerum Ecclesiasticarum, Schola-

August. *Leo IX.* *Greg. VII* *Innoc. III*

fticorum doctrina est: qui omnes à Christi institutione in Azymo conficientis, & ita informantis Apostolos initium sumpsisse docent. Hoc argumento vsi ad traditionem adstruendam, vt quòd Christus in Azymo consecrarit, in eo nobis consecrandum sit. Hac ratione sic in argumentum formata: Quod Christus instituit, fecit, & commendauit, id nobis certè faciendum esse significauit: at Christus instituit Eucharistiã, eamq. confecit in Azymo: & commendauit exemplo, ac exhortatione; *Hoc facite*; igitur in Azymo velle se deinceps confici significauit, quamuis de eo præceptum non dederit. Tota vis traditionis in institutione est. Adeo vt ipsimet Græci ad sustinendam suam consuetudinem, contendant, Christum non in Azymo, sed in fermentato consecrasse, ne videantur secus, ac Christus instituit, conficere. Itaque Latini, qui tenent Christum in Azymo consecrasse, in Azymo consecrant, Græci qui putant confecisse in Fermentato in eo conficiunt; idq. animaduertunt omnes qui de hac controuersia scribunt Auctores. Ex quibus Innocentius III. lib.4. de Mysterio Missæ c.4. *Panis*, inquit, *non fermentatus, sed Azymus debet offerri in sacrificium tum ratione facti, tum ratione mysterij.* Tum: *Cum ergo Christus quarta decima die primi Mensis ad vesperam cœnauerit cum discipulis, & agnum Paschalem comederit: ita Panem Azymum in Corpus suum sine dubio consecrauit.* Mox: *Non fermentatum, sed Azymum consecramus. Nam secundum Apostolum Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in Azymis sinceritatis, & veritatis. Græci autem in suo pertinaces errore de Fer-*

Innoc. III

mentato

mentato conficiunt, asserentes in Parasceue Lunam decimam quartam extitisse, in qua verus Agnus est immolatus. S. Thomas in 4. d. 11. qu. 2. A. 2. § *ad tertiam quæstionem: Græci de Fermentato: Latini de Azymo conficiunt. Causa huiusmodi diuersitatis est, quia Dominus in Azymo confecit: & ita in primitiua Ecclesia Apostoli celebrabant: quem morem Romana Ecclesia ab Apostolis qui ipsam fundauerunt accepit, vt Innocentius III. dicit.* Et infra: *Græci ad hoc probandum idest suum morem, asserere voluerunt Dominum in Fermentato confecisse.* Hoc prius tradiderat Leo IX. Epist. 6. ad Michaelem Constantinopolitanum. *Violenter*, inquit, *adstruere conantur Græci Fermentatum panem fuisse, quo Dominus Apostolis suis mysterium in Cœna commendauit, quod omninò falsam esse ex vtroque testamento facillime deprehenditur, quia qui non venerat soluere legem, sed adimplere, iuxta ipsius legis præceptum ex Azymis, & vino vitis Pascha adimpleuit, & ex Azymis, & vino nouum, sicut apertè Lucas narrat, Discipulis tradidit.* Ecce in Christi institutione fundamentum traditionis. Consonat illa vox Gregorij VII. ad Simandensem Episcopum, quæ est 1. lib. 8. *Illi*, ait, *Græci suum Fermentatum commendantes, nos verò Azymum nostrum, secundum Dominum, ratione defendentes.* Eadem ratione argumentatur Humbertus Cardinalis Legatus Constantinopolim missus, ob eandem vindicandi Azymi causam aduersus Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham, & Leonem Acridanum Episcopum in opusculo inscripto aduersus Græcorum calumnias; *Constat*, inquit, *Dominum*

S. Thom.

Leo IX.

Greg VII.

Humbert. *Iesum Christum commemorationem suæ Passionis recolendam in Azymis Discipulis sub ipsa Cœna commendasse, sicut hodie Romana, & Latina Ecclesia noscitur recolere*. Suum addit calculum Abulensis 2. p. Defens. c. 9. *Quidam*, inquit, *tenent, quod Christus manducauit fermentatum, & ista fuit opinio Græcorum. Deinde ex hoc inferunt, quod nos debeamus conficere in fermentato, quia debemus imitari Christum in modo conficiendi*. De Latinis autem c. 10. *Dicendum quod in Azymo conficiendum sit, sicut Christus confecit*; & Algerus eo antiquior l. 2. de Sacram. c. 10. *Nulla ratio cogit, vt Azymum à Christi Sacrificio repellatur. Dignum est, vt quod Christus instituit, omnis autem Ecclesia præter Græcam à primordio sui ex traditione Principum Ecclesiæ, Petri scilicet, & Pauli celebrauit, indesinenter conseruet*. Nec te turbet ly *præter Græcam* quasi hæc ab initio in Fermentato, non in Azymo celebrauerit: nam hic Auctor floruit post Schisma Michaelis Cerularij. Consentit Hugo Eterianus lib. *de Hæresibus in Lat. Eccles.* &c. *Latinorum Ecclesia Azyma offert, & immolat*. Et mox. *Hoc verò perpetuò secundum Christi traditionem*: quasi perinde esset institutio, ac traditio. In rem grauis auctor Anselmus in Epist. de Ferment. & Azymo. *Melius* ait *sacrificatur de Azymo, quàm de fermentato: tum quia multo aptius, & purius, & diligentius fit; tum quia Dominus hoc fecit*. Tantum momentum est in institutione Christi. At opponit doctissimus Cardinalis hos omnes, quos produxi, Auctores esse non antiquos, sed recentiores anno millesimo, & post Schisma. Non ago nunc de antiquitate Auctorum, sed de vi argumenti ducti ab institutione Christi ad doctrinam, & Traditionem. Hoc ad rationem pertinet, non ad commendationem authoritatis; sed interseramus veterem

duo-

Abulens.

Alger.

Hugo Eterian.

Anselm.

duobus fermè seculis antiquiorem illo Michaele Cerulario, Rhabanum Maurum. Hic in lib. 1. Num. c. 6. litt. G. est quippe priscum exemplar. *& cum sciret*, inquit, *Moses verum Pascha immolandum esse Christum, corporale immolari mandat Pascha: cum que sciret diem festum agere debere in Azymis sinceritatis, & veritatis, tamen de farina Azymis præcipiebat.* Item litt. H. *sed & Eucharistiæ siue percipiendæ, siue explicandæ.* Et mox: *Cum ea implemus, & exequimur, vt à magno Pontifice, atq. eius filijs tradita, & commendata suscipimus.* Iterum lib. de Institut. Cleric. c. 31. de Sacram. Corpor. & Sangu. Christi: *Quod autem panem sacrificij sine fermento esse oporteat testatur liber Leuiticus, vbi commemoratur Dominum per Moysen filijs Israel ita præcepisse, Omnis, inquit, oblatio, quæ offertur Domino absq. fermento fiat, nec quidquam fermenti, ac mellis adoleatur in sacrificio Domini. Credimus ergo panem illum, quem primum Dominus in cœna mystica Corporis sui consecrauit, infermentatum esse, maximè, cum in tempore Paschæ nullum fermentum cuiquam vesci, sed nec in Domo habere licebat, Domino illud in lege præcipiente, sicut Exodus testatur.* Ex Patribus Origenes tractatu in Matth. c. 26. Cyprianus, siue Auctor Serm. in Cœna Dom. Hieronym. c. 26. Matth. Chrysost. ibi &c. Gaudent. tract. 2. in Exod. & alij, quos suis locis infra opportunè citabimus. Ab hac igitur institutione tracta consuetudo; quemadmodum vnanimi consensu docent omnes, qui de Eucharistico Pane tractant Catholici Doctores, Rupertus tom. 2. de diuin. Off. l. 2. c. 22. Petrus Cellensis de Panibus c. 4. Lindanus in Apolog. Pamelius in Tertull. lib. aduersus Iudæos n. 93. Carolus Moreau in eundem lib. 5. contra Marcionem in

Rhaban.
Idem.
Origen.
Cyprian.
Hieron.
Chrysost.
Gaudent.
Rupert.
Petr. Cel.
Lens.
Lind.
Pamel.
Moreau.
Castro.
Gennad.
Arcud.

Princ. Alphonsus à Castro Verb. *Eucharistia*. Hæres. 2. Græcorum Gennadius in Apol. Epist. Marci Ephesij. Arcudius lib. 3. de Euchar. c. 3. Scholasticorum concors ea sententia est; sic Alexander Alensis 4. p. q. 10. A. 3. Bonauentura in 4. dist. 11. A. 2. q. 1. Richardus ibi A. 2. q. 3. Scotus in 4. dist. 11. q. 6. secundæ partis ad finem: Durand. in 4. dist. 11. qu. 4. n. 10. Diuum Thomam supra allegauimus. Soto in 4. d. 9. q. 1. A. 5 Suarez de Eucharist. d. 44. Henriq. lib. 10. de Euchar. c. 10. Vasquez t. 3. in 3. p. disp. 122. c. 1. Verumtamen Author Eminentissimus cum Syrmondo c. 23. nu. 4. aliter sentit, ac scribit: *Argumentum quod plerique Scholastici tanquam insolubile opponunt, Christum scilicet prima die Azymorum Eucharistiam instituisse, ideoque Ecclesiam eius exemplo Azymis vsam esse, quanti roboris sint viderint sapientiores Theologi, & iudicent*. Primum non hoc plerique Shcolastici opponunt, sed omnes, cum omnium Scholarum Principibus: nec soli Scholastici, sed omnes Ecclesiastici Scriptores: interpretes Euangeliorum: plerique Patres, omnes, qui de eo tractarunt Pane Eucharistico, id tradiderunt. Quotus enim quisque est Auctor, qui contrà sentiat, & vim huiusce argumenti non sentiat? summum in eo robur; inuictum est, Achilles est. Ita sapientissimi Scholastici iudicarunt, quibus nequeunt esse sapientiores, nam nemo est sapientisimo sapientior. Verum quando authori hoc rotundum, quod totum Doctorum Orbem continet, argumentum non placet,

Alex. Al. *S. Thom.* *Bon.* *Richard.* *Scotus.* *Soto.* *Suarez.* *Henriq.* *Vasquez.* *Cardinal. Bona.* *Syrmond.*

ret, objicio ei quadratum, ex quatuor Romanæ Ecclesiæ Cadinalium calculis compositum, quorum in hoc cardine rerum, quas tractamus, sit Auctoritas Cardinalis. Hugo Cardinalis à S. Charo Com. in cap. 13. Ioan. cum probasset aduersus Græcos Christum in Azymo consecrasse. *Ecclesia*, inquit, *Romana quæ omnium Ecclesiasticorum mater est, & magistra conficit de Azymis: quę hoc habuit ab Apostolis, qui fuerunt cum Domino, quando fecit Pascha, ergo conficiendum est in Azymo*. Baronius t. 1. Annal. Anno Christi 34. *Cum prima die Azymorum decima quarta ad vesperam Paschæ secundum legis Moysi ritum ageretur, post esum Agni Sacra Eucharistia fuerit instituta, nulla est dubitatio esse confectam in Azymis, & non in Fermentato: quem etiam ritum seruasse ab Apostolis, ac eorum successoribus Epiphanius testatur*. Et iterum: *Nulla est dubitatio maiores omnes eum seruasse ritum, vt in Azymis eadem Mysteria Sacrosancta confecerint*. Ioannes de Lugo Cardinalis breuiter, sed validè disp. 4. de Sacram. Euchar. §. 1. *Respondeo cum Sancto Thoma, & communi, ad valorem Sacramenti sufficere Azymum, vel Fermentatum; de necessitate tamen præcepti in Ecclesia Latina consecrari in Azymo, in Græca in Fermentato, licet congruentior sit vsus Ecclesiæ Latinæ, eo præcipuè quod Christus Dominus in Azymo creditur consecrasse*. Bellarminus t. 2. de Sacram. Euch. l. 4. c. 7. præclarè, vt solet, & in rem aptè. *Quia pręcipuum fundamentum tum Latinorum, tum Græcorum est factum Christi, nec enim dubitari potest quin illud sit melius, & faciendum, quod Christus fecit, ideo ista quæstio ab illa pendet: Vtrum Christus Dominus Sacramentum instituerit primo die Azymorum, quo Fermentum inueniri non poterat in omnibus finibus Israel, an vero ante eum diem? Si enim Dominus Sacramentum instituit in primo die Azymorum, certum erit Azymo vsum fuisse in eiusmodi institutione*;

Hugo Car.

Baronius

Cardinal de Lugo.

Bellarmi.

Atque vt monstret nexam esse hanc quæstionem de Pane in quo consecrauit, cum ista de qua tractamus: In vtro sit Pane consecrandum? affert fundamenta Græcorum pro fermentato, eaque soluit negans Christum in eo confecisse; ratus illud ex eo sequi, si in fermentato Christus consecrauit, in eo esse deinceps consecrandum, & ait eodem c. 7: *Quare necessariò quæstio ista disputanda est de tempore, quo Christus Sacramentum instituit, vt nullum omninò Græcis effugium relinquatur.* Atque hic me conuerto ad auctorem doctissimum, ac rogo cur illud scripserit c. 23. n. 4. *Dato, & non concesso quod semper Christus Azymis vsus esset, nihil tamen ex hoc pro Azymis concludi potest.* Aliud visum Cardinali Bellarmino, cui tres alij eruditissimi consentiunt. Includat se in hoc orbe Doctorum Auctor Eminentissimus Bona, nec dissentiat, & graui suo testimonio confirmet autoritatem aliorum Cardinalium. Persuasum sibi habeat multum roboris esse in exemplo Christi instituentis, idque non plerosque scholasticos tantùm, sed etiam Cardinales sentire. Cedo vnum qui contra sentiat.

Card. Bona

Obijcit tamen Eminentissimus Bona *non omnem Christi actionem præceptum continere.* Nemo ei dicit *præceptum continere*, nam si præceptum contineret institutio, non liceret vti altero ab eo, quàm, quo Christus confecit Pane. Agimus de congruitate, non de necessitate. Exemplum adhibemus. Præceptum excludimus. Quod adijcit: *Ex praxi Ecclesiæ apparet, quanta sit vis in argumento: nam vsum fermentati ipsa approbauit.* Alienum est. Nam Ecclesia Latina nunquam vsa est fermen-

men-

mentato: quod si largiamur Scholasticis, qui aliquãdo vsam fuisse dicunt, illam Azymi interruptionem; ea dispensatio fuit, non approbatio, scilicet ad depellandã suspicionẽ Ebionitici erroris. Coacta fecit, non libens, necessitate non voluntate, nec approbauit postea in Græcis, sed tolerauit. Prudenter: quia Panis fermentatus verus est Panis, & apta ad cõsecrandũ materia: cùm presertim illi conati fuerint exemplo Christi se munire dicendo eum in fermentato cõfecisse, & conando institutionem retinere, textum Euangelicum aliter, ac Latini exponendo. Fluxa quidem, & minus mihi videtur apta argumẽtatio illa desũpta à negatione precepti ad impugnãdum vsũ Azymi, & defendendum fermentati ritum. Nam multa in Euangelio sunt consilia, quę tamen religiosè seruãtur: imò quorũ tãtùm habemus exempla, nonulla ex ijs in precepta Ecclesiastica transierũt. Cuiusmodi est Quadragesimale ieiunium Iã verò quod obijcit. *Alioquin celebranda nobis forent hęc Mysteria post cœnam: quia cœna peracta ab ipso sũt instituta,* non cogit. Multũ quippè interest inter rem, & circunstantias. Abs re est ad rem à tempore argumẽtari. Tempus, & locus accidunt rei. Res cõmendatur, non tempus, nec locus. Ieiuniũ quadragesimę retinet Ecclesia: non autẽ in desertum, vbi Christus ieiunauit, iubet secedere ieiunantes, quia Christus in deserto ieiunauit. Eucharistiam confecit in cœnaculo, & inter cœnandum Dominus Iesus Christus; ergo & nos voluit extra Ecclesiam, & Altare in triclinio inter epulas cõsecrare? Putidum id, & absurdum esset deducere. Maneat ergo institutio Christi in Azymo, & ex ea

ſumptus ritus in Azymō conſecrandi, non quia præceptus, ſed quia exemplo commendatus.

Atque hic, quod antea obiter dixi, ſuſcepto ſtudio probare volo, & authori eruditiſſimo perſuadere quantum ſit roboris in ea conſecutione ritus ab inſtitutione Chriſti, quod negat ipſe; & quidem exemplo Græcorum. Hi ad ſuum ritum fermentati tuendum vtuntur eo, quo Latini ſolent vti, & reijcit Author Eminentiſſimus, inſtitutionis Chriſti argumento. Aiũt ipſnm anticipaſſe Paſcha, & illud decima tertia Luna celebraſſe ante initium Azymorum: hac opinione, imbuti Ritum noſtrum vituperant, quaſi contra exẽplum, & inſtitutionem Chriſti faciamus, eoque nos nomine erroris appellare audent, & per contemptum Azymitas vocant. Quod apparet in Epiſtolis Leonis IX. I. & VI., & Gregorij VII. Epiſt. ad Simandenſem Epiſ. & Scriptis Humberti aduerſus Græcorum calumnias: quas ſtruxere Michaël Conſtantinopolitanus Patriarcha, & Nicetas Pectoratus Abbas. Qui in ſuis contra Latinos ſcriptis eo vtuntur fundamẽto, quòd Chriſtus in fermentato confecerit, ceu puderet eos ſine exemplo Chriſti Fermentatum inducere, & Azymam excludere. Opinationem verò illam Græcorum de inſtitutione Euchariſtiæ in fermentato tradit Euthymius in cap. 26. Matth. & Nicephorus lib. 1 Hiſt. c. 28. quos ſecutus eſt Hieremias Patriarcha item Coſtantinopolitanus in Cenſura Confeſsionis Auguſtanæ; ac in eum ſenſum conantur Sanctum Chryſoſtomum, & nonnullos Patrum Græcorum pertrahere, ſed falſò, quemadmodum inferius oſtendemus,

Leo. IX. Greg. VII.

Hierem. Patriar.

idque

idque commemorat Arcudius. lib. 3. de Sacram. Euchar. c. 3. & habetur expresè apud Innocentium III. lib. 4. de Mysterio Missæ c. 4. vbi ait. *Græci in suo pertinaces errore de fermentato conficiunt asserentes in Parasceue lunam 14. extitisse, in qua verus agnus est immolatus, vt legis impleretur figura: quæ Luna 14. primi Mensis Paschalem agnum iusserat immolari*. Perspicuè omnino Leo IX. ep. 6. ad Michaelem. *Adstruere conantur fermentatum fuisse Panem, quo Dominus Apostolis suis Corporis sui Mysterium in cæna commendauit. Quod omnino falsum esse, ex vtroque testamento facillime deprehenditur*. Tantum roboris in hac institutione Christi conficientis in fermentato inesse, contrà quàm putat Author, existimabant, vt non auderent suum ritum introducere, & introductum defendere, si non in eo Christus, sed in Azymo confecisset; itaque vt ait Alexander Alensis 4. p. in 4. q. 10. A. 1. *Coacti sunt Græci, defendere se, primò dicentes se hanc ritum accepisse à Patribus: secundò vero, quia hoc non sufficiebat addiderunt rationem, scilicet ne Iudaizarent: tertiò quia hoc non sufficiebat, si Dominus confecisset in Azymis, ausi sunt dicere, quod Dominus confecit de Fermentato*. Non potuit melius exprimi vis huius, quod eneruare molitur Author Eminentissimus, argumenti. At excipiet esse Alensis, qui est Scholasticus. Addo ei D. Thomam in 4. d. 11. q. 2. ad 3. *Ad Tertiam quæstionem: Græci*, inquit, *asserere voluerunt Dominum in fermentato confecisse. Et quia tres Euangelistæ concorditer dicunt prima die Azymorum Dominum instituisse hoc Sacramentum, in tantam insaniam quidam ex ijs proruperunt, vt dicerent Euangelistas illos falsum scripsisse, & à Ioanne fuisse correctos*. Adijcio Bonauenturam, qui consentit in 4. d. 11. A. 2. q. 1. vbi adducit eadem verba Alexandri sui Magistri, quæ idcirco non profero.

Arcud. *Innoc. III.* *Leo IX.* *Alensis.* D. Thom. S. Bonau.

Verùm hi sunt omnes Scholastici, quibus Author Eminentiss. nõ solet credere. At crediderũt se ijs integræ scholæ, & illarum Principes sunt, & habentur: quorum Alexander Doctor *Irrefragabilis*, D. Thomas *Angelicus*, Bonauentura *Seraphicus*, Scotus *subtilis* dictus. Nõ eo mouetur Author: moueatur saltem Purpura Bonauenturæ, cuius nominis partem nomine, & habitu Purpuram refert: quam suis eximijs virtutib' (fateor) promeruit. Sed ait *eos præoccupat s mentibus ad rem accessisse.* Quid si ille rẽ cũ Syrmondo cõmunicata eius præiudicio accepto ad iudicandũ de Scholasticis accessit? qui Syrmondus occupato affectu illa fuligine fermẽtati tinctus, atro lapillo Scholasticam damnauit sententiam? verũ Syrmondus scopum attigit in hoc ritu, ne quid oleret Iudaicum in Azymo: *Credat Iudæus Apella.* Non ego Christianus Thologus. Haud ignorarunt Aquilæ illæ Theologiæ Scholastice Azymi Eucharistici originẽ in manibus Solis Diuini, & vel innocte eam viderunt, præ quib' Syrmondus hirundo est, & quidẽ *vna hirundo non facit ver.* Nunc denuo vrgeo. Si hoc argumentum ab institutione Christi ductum tam parum roboris habet, quare tanta contentione vtrique tam Latini, quàm Græci ad se illam trahere conantur? Equidem nullam inuenio quæstionem maiori vi agitatam. Versatus in Ecclesiasticis controuersijs confirmo: hanc vnam inter cæteras, studiosissimè, copiosissimè, contentiosissimè tractari: quod ab ea pendeat ritus Consecrandi Eucharistiam. Nec à Scholastis tantùm, sed etiam ab ijs qui extra Scholam versantur Doctoribus; Humberto, Anselmo, Ruperto, Lyrano, Burgensi, Onuphrio, Lucido, Oleastro, Stella, Maldonato, Baronio, & alijs quam plurimis.

Nominare iuuat non nullos, qui eam controuersiam
accuratissimè pertractarunt. In primis Abulensis 2. p. *Abul.*
defens. per 10. Capita. Franciscus Ribera lib. 5. de *Ribera.*
Templo c. 3. & seq. Marcellus Francolinus de Horis *Francol.*
Canonic. c. 5. & seq Bellarminus de Sacram. Euch. *Bellarm.*
lib. 4. à c. 4. ad 12. Aloysius Legionensis in opusculo *Aloys. Leg.*
de vtriusq. Agni Typici immolatione. Suarez de Eu- *Suarez.*
char. disp. 44. Henriquez de Sacr. Euch. c. 10 Vas- *Henriq.*
quez de Sac. Euch. d. 162. Animaduerto autem nemi- *Vasq.*
nē, [quod sciā] authorē Latinū affirmasse Christū in fer-
mētato consecrasse, & quāquā de tempore quo cœna-
uit Christus, fueritne 13. aut 14. Luna dissētiāt, & quidā
putent anticipasse diem, nullus tamē est qui neget in
Azymo cōfecisse, ne videātur à Christi īstitutione de-
uiare, tantū in ea momēti, & roboris esse existimarunt.
Quin imò ipsimet Græci, quemadmodū fermè omnes
à me laudati obseruant, ac notat inter eos Alpho. à Ca-
stro adu. Hæres. u. *Euch.* vt suum fermentatū intrude-
rent, cum timerent ne satis probari posset sua de antici-
patione Cœnæ Paschalis opinio, ac ita labaret ea, mi-
nus probabili nixa fundamēto, ad miraculum confu-
gerunt: dicentes Christum, licet in ea nocte solus Azy-
mus inueniretur, & ille solus in mensa positus esset, eū
subito in fermentatum cōuertisse, vt in eo consecraret.
Huius narrationis author est Algerus l. 7. c. 10. & Arcu- *Alger.*
dius Græcus Scrip. l. 3. de Sac. Euch. c. 55. & Humb. in *Arcud.*
suo libell. aduers. calumnias Græc. Videat Dominus
Eminēt. quanti fieri debeat institutio Christi, & quan-
tum ex ea ritus forma pendeat; cum ipsimet Græci
non audeant suum fermentatum nisi in Christi ex-
emplo fundare, & vt omnino aliquod fundamen-

tum sit ad miraculum recurrant, malintque nouo cōmento stabilire Fermentatum, quàm illud seorsim ab institutione quasi suspensum in aere sustinere.

CAP. II.

Consuetudo, siue Traditio Ecclesiæ Romanæ conficiendi in Azymo suadetur.

Hieron. RECtè Hieronymus libro aduersus Luciferianos cap. 4. *Multa, quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantiæ aucłoritatem sibi scriptæ legis vsurpant: veluti lauacro ter caput mergitare: Die Dominico, & per omnem Pentecostem nec de geniculis adorare, & ieiunium soluere, multaq. alia, quæ scripta non sunt rationabilis sibi obseruantia vendicauit.* Et antè illum grauiter Tertullianus lib. de Corona milit. c. 2. 3. 4. *Enumeratis* quibusdam traditionibus: *Harum*, inquit, *& eiusmodi disciplinarum, si legem expostules, scripturam nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* *Tertull.*

Formemus Traditionem in qua tres partes statuendæ; Initium: Progressus: Status. Igitur quæ Consuetudo habuit initium certum: progresum continuum: statum firmum, ea traditio erit. Singula ostendamus.

Initium à Christi institutione certum esse hactenus monstrauimus. Progresum negant aduersarij: aiunt post illam, quam inficiari non audent, Christi institutionem in Azymo consecrandi, Christum, & Apostolos mutato instituto in fermentato consecrasse; sic

Au-

Author Eminentissimus Cardinalis Bona cap. illo 23. n. 4. ad med. *Christus*, inquit, *si post Resurrectionem aliquando consecrauit, vt communiter asserunt Sancti Patres, Panem communem, & fermentatum adhibuisse credendus est.* Ego verò contrà rotundè probo Christum consecrasse adhibendo Azymum, & dictum retorqueo. Christus post Resurrectionem suam consecrauit, nimirum secunda tertiaue pòst die in Castello Emaus, vti communiter asserunt Patres: & omninò in Azymo consecrauit: cùm illa dies intra dies Azymorum esset. Produco Patres, quos ille nullos citat, affirmantes in eo Castello consecrasse. Hi sunt Augustinus de Consensu Euang. l. 3. c. 75. 2. tr. 2. In Ep. Ioan. 1. serm. 14. de temp. Author operis imperfecti in Matth. hom. 17. Beda, & Strabus in Luc. 24. Hesych. in Leuit. cap. 9. Hieron. in Epitaph. Paulæ. Sequuntur Alanus lib. de Euch. c. 45. Suarez tom. 3. in 3. p. d. 44. §. 3. Hurtado disp. 2. dist. 4. Vasquez. de Sacram. Euchar. d. 169 cap. 3. & 216. c. 2. Faber in lib. 3. c. 2. Sherlogus in Cant. vestig. 15. n. 31. Corderius in Annot. ad Caten. Græc. Pat. in c. 23. Luc. n. 30. Bellarminus lib. 4 de Euchar. c. 34. Becanus lib. de Commun. sub vtraq. specie cap. 9 nosq. in Schol. Theologicis Schol. 20. c. 4. Ergo quando consecrauit, in Azymo consecrauit, non in Fermentato. Quòd si occurrat doctissimus Author dicendo se non loqui de consecratione intra dies Pentecostes, sed de alia, quæ post illos facta fuit, nihil, opinor, proficiet, cùm solum constet semel Christum post Resurrectionem suam consecrasse, nec Patres nisi de hac consecratione loquantur. Ille pro ea

August. *Auth. operis imperf.* *Beda.* *Strabus.* *Hesych.* *Hieron.* *Alan.* *Suar.* *Hurtad.* *Vasq.* *Faber.* *Scherlog.* *Corder.* *Bellarm.* *Becan.* *Macedo.*

laudat Patres; igitur hac stare tenetur. Resistit tamen, & ad aliam prouocat, quæ fuerit in fermentato. Hæc sanè à Christo nulla reperitur. Manet ergo institutio tempore Christi.

Card. Bon. Appellat Apostolos; ait secus fecisse, ac in fermentato confecisse. Suadet id duobus locis Actorum c. 2. & 20. quos de *Eucharistiæ perceptione intelligendos omnem interpretum concordem esse sententiam*, affirmat.

Primùm supponit quod probandum erat. *Panem* ijs duobus in locis *fermentatum esse*, quòd non dicit Textus; cùm tantùm *fractione Panis*; *frangẽtes Panem* habeat, quæ vox vtrumq. significat. Cur ergo soli Fermentato addicta? Deinde non est verum assumptum; omnium Interpretum consensu ambos locos de Eucharistica perceptione intelligendos, cùm solum primus c. 2. de ea communiter intelligatur, de secundo secus interpretes sentiant: quemadmodum postea monstrabimus. Nũc vero remoto isto scrupulo procedamus, & Progressum Traditæ Institutionis authoritate Leonis

Leo. IX. IX. confirmemus. ep 1. & 6. ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham. Reprobans eius ad Apulos litteras sic: *Qui violenter*, inquit, *adstruere conantur Fermentatum Panem fuisse quo Dominus Apostolis suis Corporis sui mysterium in cœna commendauit. Quod omninò falsum esse ex vtroque testamento facillimè deprehenditur: quia non venit soluere legem, sed adimplere, iuxta ipsius legis præceptum de Azymis, & vino vetus Pascha adimpleuit, & ex Azymis, & vino nouum, sicut apertè Lucas narrat, discipulis tradidit.* Hanc Traditionem acceperunt, & retinuerunt Apostoli, & Ecclesiæ tradiderunt. Audiamus eundem Leonem epist. 1. c. 5. contra eundem, & Acridanum criminantes Azymum,

&

& intrudentes Fermentatum: *Ecce iam post mille ac ferme viginti à Passione Saluatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis sit recolenda, quasi nihil ei contulerit præsentia, conuersatio, & institutio, seu qua clarificauit Deum mors pretiosa illus senis, cui specialiter Christus Filius Dei Viui dicit: Beatus es Simon Bariona;* Et cap. 6. *Non ergo perpenditis quanta impudentia dicatur Patri, qui est in Cœlis, abscondisse à Principe Apostolorum Petro cultum, siue ritum visibilis Sacrificij per dispensationem Vnigeniti sui, cui per semet ipsum reuelare dignatus est illud ineffabile Arcanum inuisibilis Diuinitatis eiusdem Filij sui.* Rugit piè, sed vehementer hic Leo contra eos, qui Azymi ritum improbando eius traditionem auferebant, & Fermentato assignabant, contra quàm Romana Ecclesia tradebat, quæ à Petro acceperat, eamque suo sanguine confirmarat, vt patiens quem ritum Christus passioni proximus instituerat ei suo Sanguine testimonium redderet. At vide, quo in loco ponat institutionem ritus, vt reuelationi tribuat à Patre acceptæ, eamque comparet alteri Petro de Diuinitate Christi factæ, quasi ad eamdem notitiam pertineret, & institutio ritus, & cognitio Diuinitatis: non vt exæquaret mysterij fidem, sed vt commendaret traditionis autoritatem. Leoni consonat Gregorius VII. qui eidem Petro, cuius item successor erat, ritum atribuit. Is lib. 8. Epistol. Epistol. prima sic. *Quia cognouimus Ecclesiam vestram* (Armenorum erat) *Azyma sacrificare, & ob hoc à Græcis dumtaxat imperitis quasi de hæresi reprehendi, volumus vos de temeraria garrulitate eorum multum mirari: sed nec ab instituto desistere.* Et paucis interiectis, Petri mentionem inijcit, & Sanctorum Patrum autoritate ad- *Idem.* *Gregor.*

struit

ſtruit primatum Romanæ Eccleſiæ, adiuncta Chriſti ſententia: *Ego pro te rogaui Patre, vt non deficiat Fides tua.* Qua conſtituta veritate redit ad inſtitutum: *Nos Azymum noſtrum inexpugnabili ſecundum Dominum ratione defendentes:* Super Petrum, ſiue Petram Eccleſiæ traditionem ædificauit. Addidit Paulum Innocentius III. ad momentum Authoritatis lib. 4. de Myſt. Miſſæ cap. 4. *Non fermentatum,* inquit, *ſed Azymum conſecramus; Nam ſecundum Apoſtolum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaq; epulemur, non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in Azymus ſinceritatis, & veritatis.* Tum Aduerſarios refutans. *Græci autem in ſuo pertinaces errore de fermentato conficiunt.* Tres habemus Pontifices huius traditionis Authores. Adiungamus Cardinalem Humbertum Epiſcopum à Sylua candida, quem cum mandatis ad inſtruendos de myſterijs, & ritibus Latinis Græcos miſit Conſtantinopolim Leo IX. ac idcirco eum Apocryſiarium vocat Rupertus to. 2. de Diuin. Offic. lib. 2. cap. 22. *Veſtra,* inquit, *duplicitas ſuo fermentato contenta, Romanæ, & latinæ ſimplicitati Azymum extorquere deſinat.* Mox: *Prima ſcilicet Eccleſia ad hæc moderna tempora, ſicut ab Apoſtolis accepit fideliter retinuit.* Opponunt tamen Syrmondus, & Bona Eminentiſſimus, eos eſſe Recentiores, & annis inferiores. Sanè. Sed hi loquuntur de antiquis, & de annis ſuperioribus, & affirmant per mille, & viginti annos, ideſt ab initio Eccleſiæ Azymi ritum ſolemniter, & perpetuò ſeruatum. Si Eminentiſſimus negat, ſibi haud dubie nocent. Nam & ipſi qui negant ſunt Recentes, & annis Inferiores, nempe Michael Cerularius, Acridanus, &

Innoc. III.

ijs adhuc recentiores Euthymius, & Nicephorus; eodem igitur, si illud vitium est, vitio laborant. Negant de Antiquis. Cur suis credunt negantibus? non credunt nostris affirmantibus? An minores sunt fidei Leo Gregorius, Innocentius, & Cardinalis Humbertus, quã Cerularius, Acridanus, Euthymius, Nicephorus? si Recentibus de priscis non est credendum, nulli certe Historico credendum eorum, qui de Antiquis Scripserunt; quo accepto, fides Historiarum corruit. Redeo ad institutum. Expresserunt illi quatuor proximè adducti Authores Petrum, & Paulum, & Apostolos. Ecquis neget? Certe si ij non in Azymo, sed in fermentato consecrarent, non diceret, opinor, Paulus I. Cor. *expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis Azymi*. Cum enim in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento concorporemur Christo, & vnum cum eo Corpus efficiamur, si in fermentato non in Azymo fieret consecratio, ineptè à fermento deterreremur, & ad Azymum inuitaremur, & Azymi vocaremur. Nõ quadrant in Eucharistiam fermentatã illa verba, *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ*, Quibus fermentũ improbatur, nõ suadetur. Quadrant in Azymum illa: *Noua conspersio; estis Azymi*. Patitur in hac causa repulsam fermentatum, vbi candidatum Azymus agit, & his verbis exprimitur: *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in Azymis sinceritatis, & veritatis*. Qui locus Pauli omnibus est alijs coniecturis anteponendus. Eoque propterea vsus fuit Leo IX. contra Græcos, sumat illa Epistol. pr. *Leo IX.*

cap. 5. *Euidenter*, ait, *per Apostolum in quo loquebatur commemorans, inquit: Itaque epulemur non in fermentato &c.* Hanc traditionem post Apostolos Sancti Patres statuerunt. In quo verba illa sunt decretoria Leonis IX. *Post Sanctos, & Orthodoxos Patres per mille, & viginti à Passione Saluatoris nostri annos*. Eamdem veritatem docet idem Leo Epist. ad Constantinum Monomachum, & duo, quos proximè adduximus, Gregorius VII. & Innocentius III. qui certè vt Pontifices non essent, qui publicam faciunt fidem, cum

Humbert de sua loquantur Ecclesia, ijs vel priuatis habenda est fides. *Constat igitur*, ait Humbertus aduersus calumnias Græcorum, *Dominum Iesum Christum commemorationem Passionis suæ recolendam in Azymis discipulis sub ipsa Cœna commendasse, sicut hodieque Sancta Romana, & Latina Ecclesia noscitur recolere*. Multum momenti accedit huic traditioni Latinæ Ecclesiæ Occidentalis ex authoritate Ecclesiæ Hierosolymitanæ Orientalis, quæ fuit caput, & fons earum omnium. Ea in Azymo conficiebat Eucharistiam, sicut Romana solita erat. Sic affirmat idem Cardinalis Humbertus prolata Epistola ex Patriarchio Hierosolymitano, quam ipse è Græca Latinam fecit, vbi inquit. *Lu-*

Idem. *ce clarius intelligi datur eumdem ritum Diuini Sacrificij Sanctam Hierosolymitanam Ecclesiam obseruasse antiquitus: quam Sacrosancta Romana Ecclesia obseruare non cessat hactenus, Siquidem tenues oblatas ex simila præparatas, integras, & sanas Sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamus*. Iure

Rupert. igitur Abbas Rupertus Tomo 2. de Diuin. Officijs

lib.

lib. 2. cap. 22. *Romanæ*, ait, *Ecclesiæ consuetudo legalibus Propheticis, Euangelicis, atque Apostolicis rationibus consona est*. Verùm repetitis vestigijs sursum vnde ad nos descendit ritus ascendamus, & traditionem inuestigemus. Eam Anselmus expressit in lib. de Fermentato, & Azymo. Eam Fulbertus Carnotensis Epist. 2. ad Finardum. Eam Stephanus Eduensis de Sacram. Altaris cap. 12. Eam Paschasius Rhatbertus de Corpore, & Sanguine Domini cap. 70. Eam Rhabanus Maurus lib. primo de institut. Clericorum cap. 31. affirmat, Cuius quòd loci testimonium cum tamen sit apertum, obscurare vult Author Doctissimus iniectu pulueris à manuscripto Vaticano, Vaticinium in eo esse ostendam, eiusque fidem adstruam producto alio testimonio ex lib. Rhabani, nimirum 1. in num. cap. 6. lit. Q. in editione antiquissima apud nos, in hac Bibliotheca nostra Patauina, quod est eiusmodi. Loquens de Moyse: *Cum sciret*, inquit, *verum Pascha immolandum esse Christum, Corporale immolari mandat Pascha; cumque sciret diem festum agere debere in Azymis sinceritatis, & veritalis, tamen de farinæ Azymis præcipiebat* Et rursum, *sed & Ecclesiæ siue percipiendæ, siue eorum ritu quæ geritur explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptismo, verborum, gestorumque, & ordinum, atque interrogationum quis facile explicet rationem? & tamen omnia hæc opera licet, & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea, & exequimur, vt à Magno Pontifice atque eius Filijs tradita, & commendata suscepimus*. Conferat hunc locum Dominus Eminentissimus cum

Fulbert. *Stephan. Eduens.* *Paschar.* *Rhaban.* *Card. Bona*

Rhaban.

illo ſuo Vaticani; comperiet Vatem hic canere Moyſem de futura in Azymo conſecratione, quam vt propheticis Azymi figuris concineret Chriſtus effecit, quò Moyſis Vatricinium adimpleret. Afferamus nunc locum de Inſtit. Clericor. c.31. vt concentus ex vtroque exiſtat. *Quod autem Panem Sacrificij ſine fermento eſſe oporteat, teſtatur Liber Leuiticus, vbi commemoratur Dominum per Moyſem Filijs Iſrael ita præcepiſſe. Omnis inquit oblatio quæ offertur Domino abſque fermento fiat, nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in Sacrificio Domini. Credimus ergo, & Panem illum, quem primum Dominus in Cœna Myſtica in Myſterium Corporis ſui conſecrauit, infermentatum eſſe.* Expoſuit quæ antea dixerat cùm figuras exhibuit, & quod ijs inuolutum reliquerat de Euchariſtia in Pane Azymo conficienda perſpicuè explicauit, quæ ſub ijs inuolucris nobis erant tradita, & commendata in Synagoga, poſtea in Eccleſia celebranda, & obſeruanda. Vnde ibidem: *Ergo panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti Sanctificari oportet.*

Idem.

Simile quiddam inuenio in Heſychio lib. 2. in Leuit. cap 8. ad illud n. 33. *Septem diebus finitur Conſecratio,* ſed quia eſt minus perſpicuum afferre nolo.

Heſych.

Gregorij Magni teſtimonium, maius pondus habet, & in rem quadrat. To. 2. Homil. 23. eoſdem locos Leuitici, & Euangelij conferens, ac expendens ſic ait. *Edent Carnes, & Azymos Panes. Nocte Agnum comedimus, quia modo in Sacramento Dominicum Corpus accipimus, quando inuicem noſtras conſcientias non videmus, quando tamen carnes aſſatæ ſunt: quia ſcilicet qui Carnes aqua coquit diſſoluit: ignis vero ſine aqua excoquendo roborat, Carnes vero Agni ignis coxit, quia tum vis*

Gregor. Magn.

Paſ-

Passionis ad resurrectionem calentiorem reddidit, atque ad incorruptionem roborauit. Sed sola Redemptoris Sacramenta percepta ad veram solemnitatem mentis non sufficiunt, nisi bona opera iungantur; vnde subdit, & Azymos Panes cum lactucis agrestibus. Panes sine fermento commendauit, qui recta opera sine corruptione vanagloriæ facit, qui mandata misericordiæ exhibet sine admixtione peccati, ne peruerse diripiat, quod quasi rectè dispensat. Vnde increpando dicitur, Sacrificate de fermento laudem. De fermento ei laudem immolat, qui Deo Sacrificium de rapina parat. Nouit in ijs figuris Agni, & Azymi mysterium Eucharisticum, & in vtroque, Mysterio scilicet, & figura, morale documentum. Accepto Azymo in Sacrificium, excluso fermentato à Sacrificio; ponitur quippe ironicè in propheta illa sententia: *Sacrificate de fermento laudem*: irridendo, & improbando illud, quasi minus aptum ad altare, quemadmodum etiam ibi exponit Hieronymis, Rupertus, & obseruat Cardinalis Bellarminus de Eucharist. cap. 9. Luculentus igitur Author est Gregorius Magnus traditionis coficiendi in Azymo Eucharistiam; idque etiam Græci fatentur, vt apparet in Gennadio, qui manifestam Gregorij sententiam pro consecratione in Azymo producit scribens aduersus Marcum Ephesium. Quem nos locum inferius afferemus, & examinabimus. Nunc sufficiat breuem particulam Gennadij afferre, ad faciendam fidem. *Nunc autem*, ait Gennadius, *quare Romana Ecclesia Azymo Sacrificet verbis B. Gregorij Dialogi ostendemus. Ecclesia Romana Sacrificat Azymo, indicans Christum assumpsisse Carnem absque vlla commixtione &c.* Non poterat deesse huic causæ Traditionis Gregorius Magnus, cùm Romana esset, ac Pontificia. A Gregorio ad Augustinum

Hieron. *Rupert.* *Bellarmin.*

Gennad.

gra-

gradum faciamus. Is idoneus, & grauis traditionum
Ecclesiasthicarũ assertor pluribus in locis statuit Azy-
ma, quos indicabimus cum Patres recensebimus. Satis
esto illud Serm. 6. de verbis Apostoli c. 5. *Celebratur
Pascha in veteri populo, sicut nobis, occisione Agni cum Azy-
mis. Azyma autem nouam Vitam, hoc est sine vetustate fermen-*
August. *ti. Vnde nobis Apostolus dicit, expurgate vetus fermentum, vt
sitis noua conspersio, sicut estis Azymi.* Superior aliquantò
Gaud. est Augustino Gaudentius. Eundem hic tradit ritum
tract. 2. in Exodum. *O' altitudo diuitiarum Sapientiæ, &
Scientiæ Dei, Pascha est Domini, hoc est transitus Domini. Ne
terrenum putes, quod Cæleste effectum est per eum qui transit in il-
lud, & fecit illud suum corpus, & sanguinem.* Tum: *Caro
etiam Agni cum Azymis Panibus, & lactucis agrestibus est
edenda, vt cum Corpus Redemptoris accipimus nos pro peccatis
nostris fletibus affligamus.* Omisso Hieronymo, & Chry-
Epiph. sostomo, quos cum Origene in alium locum reserua-
mus, ad Epiphanium accedimus: cuius insigne est de
hoc ritu testimonium, & quidem inuictum. Loquens
de erroribus Ebionitarum, qui noua dogmata com-
miscebant, & velut Pannum menstruatæ doctrinam
suam, è varijs centonibus construebant: Sic ait:
*Baptisma porrò etiam ipsi accipiunt præter hoc, quod quotidie
baptizantur, & in aquis se mergunt. Mysteria autem faciunt
ad imitationem Sanctorum in Ecclesia, ab anno in annum per A-
zymos, idest non fermentatos Panes.* Hoc quidem ex tra-
ditione, & rectè, ac apportunè, nimirum tempore
Paschatis in anniuersaria solemnitate ad imitationem
Christi, & Apostolorum, & Sanctorum Patrum; sed
admiscebant more suo errorem. Pergit Epiphanius,
Idem. *& alteram Mysterij partem per aquam solam. Duos vero quos-*

dam

dam constituunt ex Deo ordinatos: vnum quidem Christum, alterum vero Diabolum. Ex fide sumebant Christum, ex Hæresi diabolum, verum cum falso coniungentes. Prudens hoc dico propter interpretationem Doctissimi Domini locum aliter exponentis, de quo suo cum eodem loco expostulabimus. Vetustior est Epiphanio Cyprianus, siue Author sermonis in Cœna Domini, apud quem reperitur expressa mentio ritus latini consecrationis in Azymo. Delibo pauca; omnia inferius daturus. Initio: *Cœna*, inquit, *disposita inter Sacramentales Epulas obuiauerunt sibi instituta antiqua, & noua, & consumpto agno, quem Antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum Magister apponit discipulis.* Rursum. *Panis hic itaque Azymus cibus verus, & sincerus per speciem, & Sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, Veritate Christo conformat, & sicut Panis Communis, quem quotidie sumimus, Vita est Corporis, Ita Panis iste supersubstantialis Vita est Animæ, & sanitas mentis.* Quid manifestius ad ritum Azymi adstruendum? Appropinquemus initio cum Tertulliano vicino temporibus Apostolorum, in cuius operibus sunt varia huiusce traditionis documenta. Eligo vnum, vel alterum. Primum affero ex lib. 5. contra Marcionem in principio. *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis Azymi; Ergo Azymi figuræ erant nostræ apud Creatorem. Sic & Pascha nostrum immolatus est Christus. Quare Pascha Christus? si non Pascha figura Christi per similitudinem Sanguinis Saluatoris, & pecoris Christi? Quid nobis, & Christo imagines imbuit solennium Creatoris, si non erant nostræ?* Quæ verba rem continent Azymi, vt obseruant Interpretes, quorum vnus Carolus Moreau: *Eucharistia in Azymis consecrata*

Idem.

Cyprian.

Tertull.

Carolus. Moreau. *secrata iuxta figuram Azymos requirit, & puros suscipientes.* Et Mox: *In rem Sanctissimæ Eucharistiæ faciunt hæc, cum tam Azyma in quibus Christus ex lege impleta necessariò consecrauit, quàm esus Agni, & sanguis eius fuerint figuræ nostri Sacramenti.* Secundum produco ex lib 6. contra eundem Marcionem. *Professus itaque se concupiscentia concupisse edere Pascha, suum acceptum Panem, & distributum discipulis Corpus illud suum fecit.* Panem suum, idest Azymum, nam alius erat communis, & vulgaris. Ita idem doctus Interpres: *Suum, quia Iudæorum Pascha erat, qui erant Populus Dei Creatoris Patris sui, & Agnũ & Azyma produxerat.* Huiusmodi traditionem Leo IX. Rubrica sanguinis martyrum primitiuæ Ecclesiæ notauit, & candido Azymo purpureum calculum adiecit, vt ille pulchrius purpuraret. Hanc ita Leo IX. Ad Michaelem Constantinopolitanum Episcopum Rubricam duxit. *Martyrum exercitus nostris Azymis saginatus vniuersos Idololatriæ fregerat impetus.* Hoc Azymo, Clemens, Ignatius, Polycarpus, Symeon, Iustinus, Cyprianus, Laurentius, Vincentius, Sebastianus refecti, & confirmati Iesu Christo, clarum Diuinitatis, Ecclesiæ, candoris Eucharistici testimonium reddiderunt, & traditionis conficiendi in Azymo, reddito sanguine subscripserunt. Rectè Baronius ad annum Christi 34. n. 46. *Nulla est dubitatio maiores omnes eundem seruasse ritum, vt in Azymo conficerent.* Omnes tum Apostoli, tum Martyres, tum Patres, tum fideles ad nostra vsque tempora in Romana Ecclesia in Azymo confecerunt, & communicarunt, nec fermentatum aut Altaribus adhibuerunt, aut de Altaribus perceperunt. Itaque manifestis, & sententijs, & exemplis, refutatur opinio

Leo IX.

Baron.

Autho-

Authoris Eruditissimi primùm sentientis: *serò à Latinis recepta Azyma; Tunc scilicet cum de ijs mota est à Cerulario Controuersia, idest post mille annos à Christo nato, etiam in Ecclesia occidentali*: secundùm Azymi vsum non à Sanctis Patribus, sed ab Hæreticis per errorem, & cum Hæresi introductum fuisse, vt eo Azymi symbolo ab Orthodoxis discernerentur, & in signum diuisionis à Catholica Ecclesia separarentur: tertiùm deceptos Scholasticos contrasentientes, & Azymum statuentes, cuius nulla per annos ferme mille ac viginti in Altaribus Catholicis apparent vestigia: quartùm Patres antiquos maiores nostros, contraquam sentiat Cardinalis Baronius orientalis, imo & occidentalis Ecclesiæ non alio Pane, quàm fermentato in Ecclesia vsos fuisse. Quæ omnia sunt contraria traditioni Ecclesiasticæ, vt ex dictis hactenus apparet. Coronidem ijs narratione impono, ne quod Argumentum ad faciendam consuetudini fidem desideretur. Habetur in Episto. 44 Hildeberti Archiepiscopi Turonensis, qui floruit anno 1121. vno ferme seculo post schisma Cerularij. *Hildebert.* Refert is quemdam Presbyterum ausum fuisse semel in fermentato conficere, ac ob id tanquam receptæ consuetudinis violatorem pœnas suæ temeritatis dedisse. Verba Hildeberti sunt: *Sacerdos præsentium lator, dum ministraturus Sacris adstaret Altaribus, nec in hoc præparatum Panem inueniret, de communi Pane sacrificium se confitetur obtulisse, qua in re licet potius consuetudo quàm fides impugnetur, Nos tamen nonnullam in eo Culpam attendimus, arbitrantes grauius puniendum esse Ecclesiæ scandalum, quàm dictum, & Sacerdotis iniuriam, quàm reatus qualitatem; quod quia in vestra diœcesi factum est, Personam quæ peccauit sub*

vestro statuimus iudicio, quatenus ab eo Pistore transgressio puniatur, cuius gregem Sacrificij nouitas conturbauit. Erit ergo vestræ deliberationis in Sacerdotem, qui male consecrauit eam proferre sententiam, quæ plus Patris habeat quàm Iudicis, plus misericordiæ, quàm Censuræ. Scriptum est enim: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Apta sanè, & rem maxime continens narratio: Damnatus Sacerdos; non quod non valide confecerit, cum vtraque materia esset idonea, sed quod insolenter, & contra morem receptum in Ecclesia, cum scandalo inde orto confecerit, nimirum in fermentato, & ista Consecratio dicitur *transgressio*, & *peccatum*, propter violationem Consuetudinis; igitur prisca, & solemnis illa erat, & in traditionem verterat. Nam si à principio Ecclesiæ fermentatum in vsu esset, nulla transgressio esset. Nec obijcias à Leone IX. ante centum annos incepisse morem illum in Azymo conficiendi, propterea in eo peccasse Sacerdotem, quod eam violauit; nec enim recens illa institutio satis erat ad inducendum scandalum in populo, cùm recens adhuc esset memoria ritus Consecrandi in fermentato, qui per tot sæcula in Ecclesia viguisset. In rem præclarè Doctor Angelicus in 4. d. 12. d. 2. A. 2. ad. 3. quæstionem. *Dominus in Azymo confecit, & in Azymo conficiendum est: quamuis etiam in fermentato confici possit: quamuis peccaret conficiens Ecclesiæ morem non seruans*. Quemadmodum hic presbyter peccauit, & sui peccati, hoc est violatæ consuetudinis pœnas dedit.

S. Thom.

CAP.

CAPVT III.

Non solum Ecclesiam Latinam, sed etiam Græcam ante ætatem Michaelis Cerularii in Azymo consecrasse.

QVod Latinæ Ecclesiæ imposuere duo illi insignes Authores Syrmondus, & Cardinalis Bona id est à Traditione Ecclesiastica alienum, vt ne Ecclesia quidem Græca dum prisca, & germana fuit, ac vna, & eadem cum Romana, in fermentato consecrarit. Qui proximè dicta expendat, ei liquebit, Ecclesiam vniuersalem Oecumenicam Azymis vsam fuisse, idque Epiphanium testatum reliquisse illa supra commemorata Sententia hæresi 30. enarrantem hæreses Ebionæorum, qui *Mysteria faciebant ad imitationem Sanctorum*, in Oriente, seruantes ritum Azymi ab ijs acceptum: quo in numero reponendi sunt Dionysius, Gregorius Thaumaturgus, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Nissenus, Cæsarius, Chrysostomus, & cæteri superiores, & pares Epiphanio, quos nomine *maiorum* appellat Baronius anno Christi 33. n. 36. eosque Azymi Cultores, non fermentati facit Vasquez d. 172. cap. 1. n. 6. hoc argumento Epiphanij, contraquàm putat Author Eminentissimus, qui nullo eos Iure Fermentarijs annumerat, reclamante Cypriano, siue Authore Sermonis de Cœna Domini. *Non oportet*, inquit, *esse fermentarios Noui Testamẽti ministros*; *Baron.* *Vasq.* *Cyprian.*

quales

quales ij Patres erant, qui eos priores sunt in Græca, & Orientali Ecclesia consecuti. Sacratius est Martyrum ex Leone IX. Pontifice Epist. ad Michaelem Constantinopolitanum Episcopum c. 2. Testimonium: de quibus ait Papa: *Martyrum exercitus nostris Azymis saginatus vniuersos Idololatriæ fregerat impetus*. Martyrum autem Exercitus multas Orientalium legiones habuit. Hos ad cruentum sacrificium non fermentatus, sed Azymus Panis incruento sacrificio saginabat. Præterea suadetur idem vsus Azymi alio idoneo argumento. Græci Ante Cerularium, & Nicetam Pectoratum, & recentiores ijs Euthymium, & Nicephorum non negarunt, imo & affirmarunt Christum in Azymo consecrasse, & communem inter Latinos tradiderunt sententiam, docentes Christum celebrasse Pascha quartadecima Luna cùm fermento excluso incipiebat Azymus. Cuiusmodi sunt Origenes tract. 35. in Matthæũ, Chrysostomus in eundẽ hõ. 35. Theophilus q. 24. in Exodum, quos (ne quem sua laude fraudem) producit Bellarminus lib. 4. de Eucharistia c. 8. Vasquez d. 172. c. 2. Addo ijs antiquiorem Hugonem Cardinalem, qui Commentarijs in Ioannem suis in cap. 13. affirmat Græcos Patres, ac in primis, quem maximum vocat, Chrysostomum latinæ de Christo in Azymo consecrante fuisse sententiæ *Sapienter*, inquit, *Græci dicunt, quòd Christus suo tempore fecit Pascha, scilicet cum Azymis, non fermentato*, Et quidem eos ita sensisse tenent duo Græci Scriptores Gennadius in Apologia aduersus Marcum Ephesium, & Arcudius lib. 3. de Sacramento Euchar. cap. 5. & 6. qui præcipuè Chryso-

Leo IX. Origenes. Chrysost. Theoph. Theodor. Bellarm. Vasquez. Hugo Card. Arcud.

sostomum vindicant, & Latinis assignant, ac eius testimonijs conuincunt Græcos fermentato fauentes? Equidem Chrysostomum ego diligenter euolueram, antequam in hos duos Græcorum locos incidissem, & inueneram perspicua testimonia, quibus Aduersarios iam rum conuiceram: atque hic nonnulla opportune insero; Homil. 81. in Matth. *Alias autem, inquit, & Euangelista dicit, quia vespere illo non solum comedebat Dominus Pascha, verum etiam comedendo dicebat desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Quare hoc Pascha hoc anno comedere desiderauit? quia videlicet tunc salus Orbi afferenda, tunc mysteria tradenda.* Ecce Eucharistia; tunc ad materiam, in Azymis. *Quare Pascha celebrabat? ostendens per omnia vsq. ad vltimum diem se non esse legi contrarium.* Attende quod dicat: *ne legi esset Coutrarius.* Hoc rem continet *Azymorum,* quos lex ea die præcipiebat. Addit apposité. *Num ergo perfregit legem asseruans fermentatum Panem? Minime quidem;* Nam perinde est illa interrogatio; *Num ergo perfregit legem?* Quam legem, nisi Azymorum. Hanc quippe, si Panem fermentatum solitum comedi alijs ante diebus comederet, præcipientem vsum Azymi perfringebat. Hunc locum profert D. Thomas in 4. d. 11. q. 2. A. 2. ad tertiam quæstionem. Citat autem cap. 26. homil 82.. Idem in Epist. ad Corint. 1. c. 5. *dicamus prius cur de cunctis finibus pellatur fermentum? Quid ergo sibi vult hoc Ænigma? Omni nequitia liberum oportet esse fidelem, sicut enim peribat apud quem repertum esset vetus fermentum, Ita, ex nobis ille apud quem erit nequitia.* Remouet prorsus hac figurata dicendi ratione ex sacra allegoriæ significatione desumpta, à Mysterio illius Eucharisticæ Cœnæ Fermentum.

Chrysost.

D. Thom.

Chrysost.

Rur-

Rursum homil. 84. in Ioannem reprehendit Iudæos, quòd Pascha, & Azyma non seruarint, cum ea Christus obseruauerit. *A lege*, inquit, *discesserunt cædis patrandæ desiderio, nec enim Christus legem non obseruauit, sed illi qui leges perruperunt.* Tenuit quidem Chrysostomus Christum celebrasse in Azymis, secundum legem, Iudæos vero minime celebrasse, sed in alium diem distulisse, vt occasionem occidendi Christum, extra illum Paschalem diem quærerent. Quam sententiam multi Latinorum tradunt cum Paulo Burgensi, & Nicolao Lyra, quos citat P. Vasquez disp. 172. cap. 2. & Maldonatus Matth. 26. qui cum is sentire maluit. Quod multum iuuat causam Azymi. Quoquo enim modo Iudæi fecerint, certè Christus authore Chrysostomo Pascha suo die cum Azymis celebrauit, ne traditam legem violaret. Alios adiecit locos Arcudius lib. 3. de Sacramento Euch. cap. 5. & 6. & penitus cum Gennadio concordat. Imo reprehendit Græcos Sectarios Nicetam, Nicephorum, Blastarium, & alios eiusdem farinæ, vt ait [melius esset furfuris] qui Beatum Chrysostomum, & alios Patres Græcos secus interpretantur. Mihi persuasissimum est Chrysostomum huius fuisse sententiæ, quòd scio Theophylactum Chrysostomi vt vulgò dicitur Abbreuiatorem, eam perspicuè tradere cõmentar. in Matth. cap. 26. & Marc. cap. 14. Luc. 22. & in Epist. ad Corinth. c. 5. quibus in locis significat ritum Azymorum in vsu apud Græcos fuisse, & suo tempore esse: vnde liquet apud Patres Græcos vsurpatum. Quorum Religioni maxima fit iniuria, si contrà quàm Christus fecisse creditur.

Idem.

Paul. Burg.
Lyra.
Vasq.
Maldona.

Arcud.
Gennad.

tur, ij fecisse credantur; Itaque vti docent Christum in Azymis confecisse, ita & eos confecisse in Azymis existimandum. Sentiat bonis auibus, qui velit, cum illis Aduersarijs Græcis refractarijs, ego malo cum Gennadio, & Arcudio sentire; cum præsertim Patres in suis fontibus legerim, quemadmodum postea eorum recensendo testimonia liquidò apparebit. Inter hos Patres numerandus est Epiphanius antiquior aliquantò Sancto Chrysostomo, qui in sua compendiaria Doctrina Eucharistiam vocat *Panem ab Hierosolymis acceptum*, quod in solum Azymum quadrat, nam fermentatus vndecumque peti, & accipi posset, quod esset Panis omnibus Prouincijs, & gentibus Communis. Debeo hunc locum Epiphanij viro doctissimo Theophylo Raynaudo, l. Missa c. 7. p. 542. qui sane idoneus est, & locuples Author huiusce de Priscæ Ecclesiæ instituto consecrandi in Azymo sententiæ; quem non dubito Syrmondo eiusdem Societatis Authori, vt illos alios non habuerim, parem pari opponere. Suggerit hic mihi locus Epiphanij aliud inuictum argumentum pro Græca, de qua agimus, consuetudine à me superius productum; scilicet illam sacram ex Patriarchio Hierosolymitano ab Humberto Episcopo Syluæ candidæ Epistolam, ex qua constat Hierosolymitanam Ecclesiam in Azymis consecrasse, quemadmodum c. 2. monstrauimus. Confer hanc Epist. cum dicto Epiphanij, & mirã harmoniam experieris. Nam ille panis ab Hierusalẽ acceptus hac epist. confirmatur, quæ subscribit Epiphanio.

Theophylo Raynau d.

Humbert.

Aliud Argumentum elicio ex illa opinione Scho-

lasticorum, quæ quamquam misceat Historiam parum probabilem, magnopere hanc, quam statuere contendimus, de Græco Azymi ritu veritatem confirmat. Aiunt grauissimi Scholastici: Imo & Scholasticorum Magistri, & Principes Scholarum; vniuersalem Ecclesiam ex instituto Christi ab initio in Azymo consecrasse, verùm interueniente Hæresi Ebionitarum, qui Iudaicam legem cum Cæremonijs obseruabant, & obseruandam exemplo Catholicæ Ecclesiæ esse dicebant, quòd ipsa Azymum in Aras suas ad Eucharistiam conficiendam admittebat, eum ritum reliquisse, & se ad fermentatum Panem contulisse, vt eam notam dilueret; quod cum aliquot annis fecisset, & cessasset occasio calumniæ, siue ijs extinctis Hæreticis, siue quietis iam, & tranquillis, Ecclesiam Latinam ad Azymum redijsse, Græcam autem fermentatum retinuisse. Addunt verò Authorem huius transitus de Azymo in fermentatum Leonem Papam extitisse; quis vero Leo ille fuerit, non exprimunt. Quicunque tamen ille sit, diu tenuit ea consuetudo Azymi in Ecclesia Vniuersali, cum ab initio Ecclesiæ, hoc est à Christo ad Primum Leonem anni ferme quasi quingenti quinquaginta durauerit. Itaque quatuor Seculis, & semis viguit ritus in Azymo Consecrandi.

Alex. Ales. S. Thom. S. Bonau. Scot.

Hanc sententiam ita propositam tradunt Alexander de Ales. 4. p. q. 10. nu. 4. art. 1. S. Tho. in 4. d. 11. q. 2. A. 2. § Ad tertiam questionem, & 3. p. q. 74. A. 4. Bonauentura in 4. A. 2. q. 1. Scotus in eodem d. 9. q. 6. § *Sed in proposito*. n. 6. Richardus A: 2. q. 3. Durandus q. 4. n. 10. Cuius narrationis Author fuisse videtur

tur

tur Richardus Victorinus, vt refert Claudius Sainctes in repetitione decima de Euchar. c 4. Quoquo autem narratio modo se habeat, quam vulgò Scholastici Recentiores veram esse negant, ex ea palam fit, omnes illos graues Scholasticos existimasse eum ritum in Azymo conficiendi, toto illo tempore in Vniuersali tum ad Orientem, tum ad Occidentem Ecclesia tenuisse. Auctor tamen Eminentissimus, non patitur huiusmodi narrationem, & inuehitur in Scholasticos eam affirmantes. Verum vt inficietur historiam, non potest inficiari sententiam; idque ille vidit, ac proinde eos male accepit, quasi male credulos ritui, cui à teneris essent assueti: que da re alibi cum illo expostulauimus. Sane si Historia vera non est, sequitur eos censere debuisse semper Ecclesiam Vniuersalem vsq; ad Michaelem Cerularium in Azymo confecisse. Itaque authoritate tantorum hominum nostram sententiam confirmamus, quam & miramur maxime, & dolemus ab Eruditissimo viro tot modis infringi, ac eleuari; quem certe, vt doctum & pium, qualis est, virum, non decebat tam acriter, tamque acerbe eos sugillare, eoque Hæreticis à quibus ij contemni, & pungi solent, animos facere. Ego ijs assuetus indulgeo, & suffragor, imo & subscribo, ac vix mihi possum persuadere eam rem aut finxisse, aut ab alijs fictam prouera habitam fuisse. Euolui plurima litterarum monumenta, vt sicubi aliquod fundamentum eius Historiæ inuenire potuissem, illud in medium afferrem, & propalarem, vt eorum existimationi consulerem, sed nihil inuenire potui, quo fidem eorum-

Richard. Durand. Claud. Sainct.

Card. Bona

dem vindicarem. Hoc mihi satis est modò, quod eorum maior est Authoritas, quàm vt possit ab Authore tamesi doctissimo, labefactari. Igitur illorum calculos adhibeo ad meam sententiam de vniuersalis Ecclesiæ ritu consecrandi in Azymo stabiliendam. Adijcio momenta Recentium Scholasticorum, qui D. Thomam, Scotumque sectantur, ac ijs subscribunt, in quibus est Pater Gabriel Vasquez haud paulò, quàm Syrmondus, opinor, eruditior in sua illa dip. 172. & illius par, sociusque Suarez de Euch. d. 44. eiusque Magister Henri quez de Euchar. c. 10. Quibus adiungo Baronium To. 1. Anno 34. & Lindanum in Apologia pro Liturgia Petri, vbi ait *Latinos, veteres Græcos, & Indianos Azymum Consecrasse.*

Vasq. *Suarez.* *Henriq.* *Baron.* *Lindan.*

Adhibeamus idoneam coniecturam, de Photio, ad quam Lectores inuito. Erit quippe ista legentibus iucunda. Concedit, imo & assumit Auctor Eminentissimus Photium insignem Romanæ Ecclesiæ hostem morem hunc conficiendi Eucharistiam in Azymo nō reprehendisse; cum multos alios Ecclesiæ ritus reprehendisset, ac ex eo deducere conatur Latinos eo tempore fermentato vsos fuisse. Nam si secus facerent Latini, non laturum id tacitum Photium, & omnino vituperaturum, atque adeo, quod postea Cerularius fecit, prius Photium esse facturum. Non vituperasse autem eum Azymi ritum Photium, patet ex eiusdem Epistolis, & Responsione ad eas Nicolai 1. Papæ, in quibus nullum reprehensionis vestigium apparet; ex quo silentio ait Author noster Purpuratus c. 23. n. 4. *Si non euidenti saltem probabili consecutione deducitur Azymi*

Photius. *Nicolaus 1 Papa* *Card: Bona*

Panis vsum circa annum Christi 860. nondum in Latina Ecclesia viguisse. Accipio vocem hanc Authoris de Photij Silentio, & in eum ita reijcio, vt quod sibi suffragari silentium putat, illud ei penitus refragari ostendam. Ac vnde ille format coniecturam tacitam, sumo ego argumentum vocalissimum. Ideo Photius reprehensione Azymi abstinuit, quia ipse Constantinopolitanus Patriarcha cum Orientali Ecclesia in Azymo celebrabat. Non poterat ergo reprehendere in Latinis quod Græci faciebant; Ac retorquetur coniectura hac ratione. Idcirco tacuit Photius quod in Azymo consecrabat: non ideo siluit de Azymo, quòd ambæ Ecclesiæ in fermentato conficerent, sed quod ambæ Azymo vterentur. Ademit ei vsum vituperandi vsus communis Azymorum. Non potuit Oris Maledici rictum ritui Latino opponere qui consecratum Azymum ori adhibebat. Clamat pro Latino Azymo Græcum Photij silentium. Admitto silentium, causam silentij excludo. Fluxa est illa consecutio: siluit Photius, quia Latina Ecclesia simul cum Græca in fermentato consecrabat. Valet contraria; siluit Photius, quia Græca, & Latina Ecclesia simul in Azymo conficiebant. Hæc fuit causa silentij consecuti. Videamus vtra sit probabilior ratiocinatio Authoris de Fermentato, an mea de Azymo? Ille nullo argumento munit suam, atque adeo ad suspicionem redit coniectura. Ego meam fulcio hoc idoneo, opinor, argumento sumpto, quod mirere, ex scriptis eiusdem Auctoris Eminentiss. Is in eo c. 23. n. 4.

Photius. narrat Photium reprehendisse Latinos, quòd Agnum Iudæorum ritu in Altari offerrent, & benedicerent. Nicol. 1. Arripio: fateor: Verum id est. Non solum id constat ex scriptis Photij, sed etiam ex litteris Nicolai primi Papæ; vbi sic ait: *Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia eorum scripta indicatur, Agnum in Pascha more Iudæorum pariter cum Dominico Corpore benedicare, & offerre.* At hinc deducitur Latinos in Azymo tunc cum istud obiecit consecrasse: aliter non manducarent more Iudaico, sed contra Morem Iudaicum. Constat enim Iudæos, Agnum cum Azymo, non cum fermentato manducasse. Dum ergo Photius obijciebat esum Agni Paschalis more Iudaico, Panem Azymum in Aram inducebat, & vtrumque simul affirmabat. Pone tibi ob oculos, Lector, Altare illud, quod fingebat Photius. Vide in ferculo Agnum assum cum Eucharistia, *Dominico*, inquam, *corpore* in speciem Panis exhibito *coniunctum*. Connecte vtrumque, & Agnum Assatum, & Panem consecratum, & in connectendo morem Iudaicum recole. Venietne tibi in mentem panis fermentatus? Tuo iudicio stare volo. Næ tu Azymum pones: omninò cum illo ritè & aptè Agno coniunctum. Igitur panis fermentatus à consortio illius Agni alienus. Tam hoc est perspicuum, vt non dubitem vel Syrmondum, si viueret, Iudicem adhibere, ac illius stare iuditio, idque nostro Doctissimo Purpurato (eodem Authore Syrmondo cui ille solet credere) penitus persuadere. Non potest cum esu illius Agni esus, vel vsus fermentati Panis consistere; nec id mos Iudæorum vllatenus patietur. Adiuuat hæc reprehen-

sio

sio silentium Photij, ac vt pro me clamet, efficit; Nec iam ad Silentium reecurro tacentis, sed ad verba reprehēdentis, & concludo Authore Photio in Aris Latinis non modò non fuisse vsum fermentati, sed ne vlla quidem ratione esse potuisse.

Impello aduersarios, si qui sunt, hoc turbatos Argumento. Photius, & Gregales, assueti Azymis, vt aliquid in nostro Sacrificio reprehenderent, finxere Agnum à Latinis in eo simul offerri, idque solùm in Latinis taxarunt; *Mentiuntur*, inquit Nicolaus, ac in eo quod mentiebantur, Latinos suggillabant, ergo in solo Agno. Atqui si Panis esset fermentatus is etiam erat vituperandus, quia cum Agno minime conueniebat. Igitur Panis Altaris Azymus erat, quem quia non poterant reprehendere, cum ipsi etiam ad suum Sacrificium Azymum adhiberent, necesse ijs fuit fingere Latinos cum eo Azymo assum Agnum edere consueuisse, quod Iudæi facere consueuerant. Sanè ut causa criminationis existeret, debuit Agnus cum Azymo consistere, id enim crimen fingebatur: more nos Iudaico sacrificare, qui eiusmodi erat, vt Agnus cum Azymis sacrificaretur, quibus amotis nulla manebat occasio criminandi, nam cum pane Cōmuni, & fermentato Gentes aliæ Agnum comedebāt. Magnos itaque clamores pro Azymo Latino, & Græco Photii silentium facit, quod nemo Lector in Ara, excepto Patre Syrmondo, & doctissimo Bona tacitum ferat.

Peracto Silentio clamoso in Aduersarios, Argumento parisonemus. Græci Latinum ritum, tum primum

mum vituperare cæperunt, cum sibi persuadere item cæperunt, non esse licitum in Azymis consecrare. Itaque simul reprehenderunt, & damnarunt, & damnando errarunt. Quod inde ortum, quia putarunt Christum non in Azymo, sed in fermentato consecrasse. Igitur cùm primùm hanc opinionem conceperunt; cæperunt Azymum reprehendere, & in eo celebrantes *Azymitas* per contemptum appellare: verso in crimen ritù, quem contra Christi institutionem vsurpatum existimabant. Hæc autem opinio longè post Photij tempora, idest ducentis prope annis initium habuit. Videlicet tempore Michaelis istius Cerularij, & Nicetæ Abbatis Pectorati Leone IX. Pontifice, idest anno ferme MLIII. Apparet id in eorum scriptis, quæ in tomo Bibliothecæ Patrum 11 reperiuntur, & confutatione eorumdem ab Humberto Episcopo, & Cardinali concinnata, eodem Tomo contenta, & constat ex Epistolis Leonis IX. prima, & sexta, quod item aduertit Bellarminus lib. 4. de Eucharistia c. 7. Do locum Eruditissimi Cardinalis *Hæc, inquit, controuersia circa annum Domini MLIII. est exorta, vt Leo Papa IX testatur in Epistola ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum c. 1. tunc enim primum Græci reprehendere cæperunt Latinos, quòd Azymum panem in Sacramentum Eucharistiæ assumerent; Vndè etiam Azymitas nos vocare ausi sunt, in qua sententia ad hanc vsque diem perseuerant. Quam sententiam postea Euthymius, & Nicephorus, quorum mentionem proxime fecimus, scriptis suis confirmarunt: quos sequutus est Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha ad Confessionem Lutheranorum c. 10. quod est de Cœna Domini.* Verùm redeamus ad institutum. Ante Photium, & illius ætate opinio de

Bellarm.

conse-

consecratione Eucharistiæ in fermentato à Christo facta non inceperat; Igitur non posset in Ecclesia Græca ritus fermentati vsurpari. Confirmo eo quod Leo IX. in sua Epistola 1. ad Michaelem Constantinopol. Episcopum c. 5. nouam, & inauditam eam sententiam dicit, & cap. 3. eiusdem Epistolæ, indoctum eum, & cæcum appellat; quæ non diceret, si illa iampridem inter Græcos Patres, & Scriptores inualuisset. Præterea Gregorius VII. in Epistola ad Simandensem Episcopum scribit Ecclesiam Latinam ob eũ ritum Sacrificandi in Azymo *à Græcis dumtaxat imperitis reprehendi*, quales certè non erant veteres Scriptores Græci. Imo ne Photius quidem vir doctus, & peritus, qui non ignoraret modum, & rationem suum illum, si eo vteretur, ritum defendendi. Accedit Authoritas Humberti Cardinalis in suo aduersus Græcorum calumnias opusculo; vbi sic: *Iam quia sufficienti authoritate noui, & veteris testamenti constat Dominum nostrum Iesum Christum commemorationem suæ Passionis recolendam in Azymis discipulis sub ipsa Cœna commendasse; sicut hodieque Romana, & Latina Ecclesia noscitur recolere; dicere debetis cuius institutionem in fermentato tam obstinate defenditis.* Certè si ea tunc vsurpata à Michaele, & Niceta in fermentato consecratio vetus esset, & saltem à tempore Photij vsitata, & ducentorum annorum consuetudine stabilita, non auderet Humbertus verba illa proferre. Possent quippe ij idoneam institutionem, ac ex ea causam probabilem allegare. Non erat sane illa de fermentato ritu vetus priscæ Græcorum Ecclesiæ sententia, sed noua Constantinopolitanæ sub Michaele Cerulario sedis insolentia. Consultiùs Græci illi

Leo IX.

Greg. VII.

Humbert.

fecerunt, qui post introductum iam fermentati vsum à vituperandis Azymis abstinuerunt, eamque consuetudinem reprehensione carere affirmarunt; quales sunt Demetrius Chomatenus, & Basilius Acridanus, & alii apud Arcudium lib. 5. de Eucharistia: sed hi non introduxerunt vsum, sed introductum ab alijs in sua Ecclesia inuenerunt. Cuiusmodi item fuere Græci, qui in Florentino Concilio Sessione vltima de vtriusque panis ritu consenserunt, & Azymum materiam esse Eucharistiæ idoneam affirmarunt. Excitauit huius Concilij mentio mentem meam ad duas coniecturas inuestigandas pro Azymi dignitate. Prima est: quòd in eo Concilio, cùm sessione vltima decretum esset in vtrouis Pane licere vtri nationi consecrare, quòd vterque Panis idonea esset ad conficiendum materia, proptereàque frequenter de vtroque Pane mentionem fieri necesse esset, semper Panis Azymus fermentato inter nominandum præponitur, etiam ab ipsismet Græcis doctrinam, & ritum suum statuentibus: quòd ego diligenter obseruaui. Secunda quod volentibus Patribus Latinis de Azymo, & fermentato quæstionem instituere, ac disputandi arbitrium Græcis ex aduerso Patribus deferentibus, semper hi disputationem detrectarunt, nec quicquam de sua consuetudine contra Azymi Latini traditionem attulerunt, tantum dixerunt consecrationem in vtrouis Pane valere, non ausi ritum suum in periculum adducere, quasi causæ suæ minus fiderent, quod Latinorum iustiorem existimarent. Addo aliam extra Concilium coniecturam probabilem, si Græci à principio

Demetrius Chomat. Arcud.

Concil. Fl.

cipio

cipio Ecclesiæ suæ ritum suum conficiendi in fermentato obseruassent, nemo auderet Theologorum eos eumdem ritum retinentes reprehendere, nec damnare; sunt autem qui putent ijs non licuisse, imo nec fortasse licere conficere in fermentato, etiam post illam consuetudinem à Michaele Cerulario introductam. Cuiusmodi sunt Scotus in 4. d. 11. q. 6. § *Sed in proposito* lin. *sed de necessitate*, vbi sic n. 6. *forte grauiter peccant Græci, qui non se conformant Ecclesiæ Petri*. Alfonsus de Castro lib. 6. verbo Eucharistia: *Credimus Græcos vere in fermentato conficere, quamuis sic conficientes peccent propter Ecclesiæ diuisionem quam faciunt, & à cuius obedientia se separauerunt*. Nunquam ergo hoc Auctore ante separationem in fermentato consecrarant. Eiusdem sententiæ Author est Altéstaim in lex. Rupertus To. 2. de Diuin. Offic. lib. 3. c. 27. cum ritum Græcorum hæresim appellauit. Et quidem ritus Græcorum eo genere consuetudinis introductus est, vt nisi Ecclesia tolerasset, & tolerando approbasset non esset licitus, ac in eo sunt sensu accipiendi Authores, quos laudauimus. Quapropter egregie dicit Henriquez lib. 10. de Sacramento Euch. *in Latina Ecclesia, de Azymo esse præceptum*, vt significaret, in Græca fermentati esse tolerantiam, & permissionem, quòd contra Christi institutionem, & Sanctorum Patrum etiam Græcorum, vt ibidem affirmat Henriquez, temerè ac imprudenter fecerunt. Ad calcem reseruaui Argumentum, quod mihi prorsus persuadet Græcos olim à fermentato abstinuisse, & in Azymo confecisse, multò Photij silentio vocalius, quia clamat in synodo Trullana sesqui seculo ferme

Scot. *Castr.* *Altenst.* *Rupert.*

ante Photium Constantinopoli celebrata, vbi inter cæteros Canones vnus, qui est 32. pertinet ad institutum: in eo quippe reprehenduntur Armeni, quòd in sacrificio Missæ vinum tantum sine aqua offerebant. Verba Concilij sunt *Vinum tantùm in sacra Mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum Sacrificium peragunt*. Hoc accepto constat Argumentum. Armeni tunc in Azymo conficiebant, ipsiusmet Authoris Eminentissimi testimonio, qui §. 1. inductus Authoritate Isaac, & Demetrij Cyziceni affirmat *Armenos Azymum tunc Panem, & Vinum sine aqua offerre cæpisse in signum diuisionis ab Ecclesia Catholica, & in signum hæresis Euthychianæ* (vt vt sit de isto Symbolo, & signo, de quo posteà disputabo) ij conficiebant in Azymo, & conficiendo peccabant, at non reprehenduntur de vsu Azymi, sed solum de vsu solius vni, cum, si in vtroque errassent de vtroque debuissent reprehendi. Curergo tacent Patres Trullani de Azymo? nisi quia ij Azymo vtebantur, quem vituperare non poterant, ne suum ritum vituperarent. Aliter omnino facturi, si in fermentato consecrarent. Imo notandum Patres Trullanos, si vera est Authoris de illa hæresi Armenorum opinio, non damnando Azymum manifestè significant in eo se consecrare, quandoquidem non sunt ausi damnare errorem in Azymi ritu inuolutum, ne damnare simul Azymum viderentur. Solum igitur vini puri vsum vituperarunt, & errorem in eo contentum detestati sunt, quia satis existimarunt eum in vino, quo puro in sacris non vtebantur, condemnare, intacto Azymo quo vtebantur. Si autem in fermentato

Synod. Trullana.

con-

conficerent, nō omitterent quin Azymo altare interdicerent, cum duplici nomine iustum esset interdictum, & quia insolens erat, & quia hæresim continebat.

CAP. IV.

Non consueuisse Latinam Ecclesiam antiquitus ante Leonem IX. & Michaelem Cerularium, imo nunquam celebrasse in fermentato, plerisq. idoneis Argumentis ostenditur.

PRimum est. Consensio Latinorum Scriptorum negantium, quorum nullus antequam Syrmōdus scribendo contrarium affirmaret non negauit, siue Pontifex, siue Priuatus Doctor esset, quemadmodum superiùs demonstrauimus. Equidem, vti animaduertimus, Summis Pontificibus de sua Ecclesia scribentibus omnino habenda est fides, quales sunt Leo IX. Gregorius VII. Innocentius III. qui id penitus inficiantur. Hoc idem tradunt quotquot hac dare scripserunt, cuiuscumq. gentis, facultatis, dignitatis Authores sunt. In hoc vnum diuersitas omnium conspirauit, qui differentibus linguis vna voce Azymum fatentur. Solus ille Syrmundus extra mundum spatiatus, in ipsis spatijs imaginarijs imaginariam tulit sententiam, qui ne singularis esset Author Eminentissimus Bona, vir quidem doctrina, & eruditione singulari socium illi se addendo effecit.

Secundum. Conformitas istius Ecclesiæ Vniuersalis Latinæ in conficiendo in Azymo: nullo discrimine, nulla dissimilitudine, nulla uarietate, sed unanimi, & generali consensu, ita vt nulla Nationalis, aut Prouincialis Ecclesia ad fermentatum

de-

declinarit, quemadmodum in alijs ritibus accidisse comperimus in Historijs Ecclesiasticis. Alios enim habuit Mediolanensis, alios Aquileiensis, alios Africana, alios Gallicana, alios Hispanica Ecclesia, vt in earum actis, & fastis videre est, ac de eo Augustinus Epistola ad Casulanum, & lib. 9. Confessionum; sed hunc ritum conficiendi in Azymo omnes Ecclesiæ & amplexæ sunt, & professæ; nullam legimus aliter quàm in Azymo consecrasse: quod signum est Vniuersalis traditionis ab initio obseruatæ, & à Christi institutione manantis; nulla est ausa mutare quod à primordio Ecclesiæ acceperat, secundum illud Stephani Papæ. *Nihil innouetur nisi quod traditum est.*

August.

Stedh. Papa.

Tertium, Conspiratio totius Ecclesiæ Latinæ aduersus ritum fermentati, quem à suis Altaribus depulerunt, & introducere conantibus restiterunt: ita pro Azymo bellabant, quasi pro Aris & Focis, imo pro Aris, & Hostijs, quas quodammodo contaminari fermento existimabant. Nimirum proscriptum eum Panem à Paulo Apostolo nouerant, tamquam alienum à Sinceritate, & veritate, eoque nomine suspectum habebant, quòd symbolum nequitię, & malitiæ ferebat; non quod hostem, & inimicum putarent, sed quod Alienigenam, & externum reputabant, & ne, quam secum peregrinitatem induceret, metuebant; quòd si fuisset continuata per tot sæcula consuetudine receptus, non eum horruissent Latini, nec ab eo tantopere abhorruissent.

Quartum sumitur ex Doctrina Ecclesiæ Romanæ, quæ ritum hunc docuit Ecclesias Orientales, quas

tam-

tamquam filias instituebat; quarum disciplina testimonium Azymo reddit, cum eæ non in fermentato conficiant, sed in Azymo. Constat Armenorum Ecclesiam teste Gregorio VII. Epist. 1. lib. 8. in Azymo confecisse. *Nouimus*, inquit, *Ecclesiam vestram Azyma consecrare*. Ac etiam nunc conficere testatur Clemens Galanus To. 2. de Euchar. Sect. 1. *Armeni omnes*, ait, *summo consensu cum vniuersali Ecclesiæ consentiunt, qui etiam in hoc Sacramento vtuntur laudabilius Pane Azymo iuxta ritum occidentalis Ecclesiæ*. Quam doctrinam ferunt accepisse illorum Principem Patriarcham Gregorium Illuminatorem Romæ à Siluestro Papa, cum Rex Armeniæ Tyridates eò se Constantino Imperatore contulisset, Authore Metaphraste apud Surium Mense Septembri die 30. quod multis confirmat Galanus 1. p. Histor. c. 2. in annotatione ad Vitam eiusdem Gregorij, cui malo fidem habere affirmanti, quam Authori nostro Eminentissimo de eo (vt assolet, vbi sibi contradici videt) dubitanti. Idem refert de Ecclesia Indianorum Lindanus in Apologià pro Liturgia D. Petri c. 7. quos affirmat in Azymis in hunc diem Sacrificare. Qui Patriarchæ superiori seculo à Romano Pontifice in Æthiopiam missi sunt, eo illi ritu in ea Ecclesia celebrarunt, qui si minus ibi natus esset, non committerent vt insolentia Sacrificii Animos Æthiopum à fide Catholica abalienarent. Patet hoc in Historijs Societatis Iesù, ex qua Patriarchæ assumpti, ac eo missi sunt, quorum ego cum in ea felicissimè diu vixissem, omnes ex monumentis, nonnullos de facie agnoui.

Greg. VII. *Clemens. Galanus.* *Methophr.* *Surius.* *Lindan.*

Quintum esto: nota nouitatis, quam incurreret latina

tina Ecclesia, si à prisca tot annorum consuetudine recessisset: si enim ritus ille conficiendi in fermentato inueteratus, & solemnis erat, debuit conseruari, non relinqui; ac ob id accusari ab inimicis Ecclesiam oportebat, quòd à traditione recessisset, cum Latina Ecclesia suarum sit Traditionum tenacissima, & nouitates oderit, ac eo nomine Hæreticos detestetur, quos idcirco *Nouatores* appellat, vt perinde sit apud Catholicos Latinos Nouator, ac Hæreticus.

Sextum hinc oritur, sumiturque ex eo, quòd nulla causa probabilis interuenire potuit mutandi institutum, & à fermentato se ad Azymum transferendi. Temerè autem nihil fit ab Ecclesia. Nam cur ea priscum & solemnem ritum reliquisset? Cur veterem commutasset nouo? quæ noua ratio in mentem venire potuit, quæ antea non venisset? Cui bono erat fermẽtatum in Aris dominantem possessione diuturna pellere & in eius locũ Azymũ intrudere? At metu, inquit, Græcorum fecerunt, nempe Cerularij, & Pectorati. Illa quæ Tyrannis Principibus, & Imperatoribus restitit, cùm adhuc esset in Cunabulis, Adulta, & Dominatrix duobus Hominibus cessisset? Quid minitari poterant duo illi? exilia, direptiones, mortem? vt hæc possent inferre mala, quod inficior, Eccelesia negligebat, assueta pro Legibus Patrijs mortem oppetere. Potentior multò erat Latina, quàm Græca, & multò maius Orbis spatium occupabat. Excogitet aliquam causam probabilem mutationis, sed ne fingere quidem fucatam veri speciem poterit. Id constat: à suscepto semel instituto non esse Ecclesiam recessuram,

ram, ex eo quod Azymum retinuit, retinetque, sumendum est eam semper ante in Azymo consecrasse argumentum. Quam in rem appositè Augustinus lib. 1. Ad Ianuarium.c. 1. *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto Orbe Terrarum obseruantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel à Plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima Auctoritas, commendata, atque statuta retineri.* Quare non est probanda illa vox Eminentissimi Authoris Liturgici c. 23, n. 22. *eos turpiter errare, qui ex præsenti rerum statu totam æstimant Antiquitatem.* Nam si præsens status sit communis Ecclesiæ, in quo illa tota consistit, & perseuerat; ex eo æstimanda est antiquitas eiusdem. Nec enim illa nouum induceret veteri antiquato, cum præsertim status sit fultus consuetudine, ac traditione, cuiusmodi est consecratio in Azymo. Alioqui si turpiter errat qui præsenti statui credit, nulli statui qui in Ecclesia sit, credet, cum omnes mutabiles sint, imo ex alijs in alios mutati. At nonnulla mutat, & mutauit Ecclesia. Fateor: sed nec illa pertinebant ad ritum solemnem, & priscum acceptum per traditionem, nec ab Vniuersali Ecclesia recipiebantur, nec ad rerum conditionem, sed ad temporum, & locorum opportunitates, quæ sunt mutabiles, spectabant, quas circumstantias solemus dicere, & ritibus, rebusque immutatis interdum vertuntur, & variantur. *August.*

Septimum: si Latina Ecclesia consecrasset in fermentato per tot annorum seriem, & in eo ritu cum Græca conueniret, diuisionem ipsa, & schisma faceret, non Græca, deficiendo à solemni consuetudine totius Ecclesiæ à Christo, & Apostolis accepta.

Hoc autem quis audeat affirmare? Non tulit Christus in suo mortuo Corpore crurum confractionem, ne qua fieret diuisio, & separatio partium, sed conseruauit quod semper fuerat integrum, & illæsum; ferret vero in suo Corpore Mystico, idest Ecclesia, quam illud Corpus repræsentabat, illam ritus consecrandi mutationem, quæ ad Corpus item suum pertinebat? Cum præsertim idem illud Corpus in Ligno Crucis crucifixum *Panis* appelletur à Propheta *mittamus lignum in panem eius*. Quod Ecclesia in Azymo conficit Corpus Christi eo facit, quod in eo semper fuerat consecratum. Vestis Inconsutilis, sicut inuenta est in tempore mortis Christi ita relicta fuit, vt erat in vita, ac ne per auaritiam quidem, & seditionem militum discissa fuit; nec eò ausa est progredi licentia militaris, vt aceptam tunicam integram, & inconsutilem dissuerent, ac diuiderent; sartam ideo, tectamque seruarunt. Haud secus Latina Ecclesia Azymi tegumentum, quo verum Christi Corpus in Sacramento Eucharistiæ obtegitur, idcirco inuiolatum custodit, quia prius, & solemne, & inuiolatum fuit, ac sicut inuenit, ita retinuit citra scissuram, intra eamdem integritatem.

Octauum. Quid? Quòd Ecclesia ipsa Latina ore suo fatetur, & clamat se numquam in Fermentato, semper in Azymo, ex quo esse, ac viuere, & conficere cœpit, confecisse? Audiamus suprà id affirmantem Leonem IX. Gregorium VII. Innocentium III. Humbertum, Anselmum, Rupertum, Vgonem, Richardum, Alensem, S. Thomam, S. Bonauenturam, Abulensem, Castrum, Lindanum, Baronium, Bellarmi-

num, Suarez, Vasquez, Henriquez, Lugum, & omnia membra Ecclesiæ versa in linguas Azymum personantia, & Ambigemus? Certe qui hos clamores non audiunt, ad Nili catadupas habitare videntur.

Nonum: Illa in Concilio Florentino à Latinis Patribus toties de consecratione in Azymo iniecta mentio, toties oblata disputatio: vnde oriebatur, nisi ex scientia primæuæ institutionis, & acceptæ ab Authore Christo per Apostolos, & seruatæ semper ab initio traditionis? Non auderent Patres, si ea à quatuor ante sæculis incepisset, tam fidenter Græcam Ecclesiam prouocare. Antiquissimum solenne animos faciebat, & illud ipsum Græcos à disputando auocabat.

Decimum. Damnatio illa proximè commemorata Sacerdotis apud Turones ex Hildeberto sumpta, rem continet huius prisci ritus, non à paucis ante annis, sed à principio Ecclesię nascentis deducti. Nam cùm causa damnationis fuerit nouitas, & insolentia ritus conficiendi in Fermentato, manifestò apparet, Sanctum, & solemnem fuisse ritum, contra quem insolita illa nouitate peccasset, quæ non esset probabilis, si ea consuetudo Azymi à temporis Leonis IX. & Michaelis Cerularij incepisset. Nam inter Leonem, & Hildebertũ sexaginta tantã anni decurrerunt, cùm Leo anno ML. Hildebertus vero 1110. floruerit. Quo igitur Iure sacerdotem illum criminis Hildebertus argueret, insolentiæ, & nouitatis appellans, si tam erat nouus vsus Azymi, vt ad centũ annos nõ accederet. Næ ille Presbiter optimè se defenderet excipiens, prisco se more fecisse, cùm fermentatus Panis

ſecula decem, & eo amplius inualuiſſet, cuius adhuc fumarent in Altaribus cineres, & cuius adhuc in ijs inueniſſet impreſſa veſtigia, per quæ ad Antiquiſſimam fermentati Religionem tutus, ac inculpatus redijſſet. Hæc ſint ſatis ad notam erroris per ſummam iniuriam impoſiti ijs *qui ex præſenti rerum ſtatu totam æſtimant Antiquitatem*, cum ipſemet ſtatus Vniuerſalis Eccleſiæ ritus ſuos obſeruantis ſignum ſit euidens, quod ij ſint primæui, & moliti naſcenti Eccleſiæ, quos ſecum tanquam ingenitos traxit, ac retinuit, retinet, ac retinebit. His etiam argumentis refellitur Authoris Eminen-
Pet. Clun. tiſſimi dictum §. 7. vbi adductis verbis Petri Cluniacenſis atteſtantis, & approbantis vſum Azymi, quæ eiuſmodi ſunt: *Teſtes ſumus temporis noſtri, qui Romanam Eccleſiam, & totam Latinam linguam offerre Deo ſacrificium Azymi Panis videmus.* Ait eum de ſuo ſolum tempore intelligendum, quod dicat *temporis noſtri* non autem de temporibus antiquis Eccleſiæ, quæ per ly *noſtri* reijciuntur: vt ly *noſtri* alia tempora excludat.

Quę ſane interpretatio, vt cũ M. Tullio loquar *callida eſt*, & à ſenſu Petri Cluniacenſis prorſus aliena. Quis enim non videt Petrum affirmando Eccleſiam ſui temporis ſeruare Azymum, nolle negare Eccleſiã alijs tẽporibus eũ ſeruaſſe? Affirmat quod videbat fieri, nõ inficiatur quod nõ viderat. Imo ex eo quod videbat affirmabat ita Eccleſiam anteactis tẽporibus feciſſe, & ex vna affirmatione alia affirmatio ſequebatur; & hæc erat melior affirmationis, quã illa negationis cõſecutio. Cõfirmabat quippe exemplo ſuæ ætatis Eccleſiæ morem alterius, & antiquæ ætatis in eodem Azymo conſecrandi. Patet hanc meam eſſe veram, & germanam interpre-

tationem, cum ille dicat sumus *testes temporis nostri qui iudemus*. Quo fatetur loqui se de eo quod videbat fieri in Ecclesia sua. Non poterat autem videre quod factum fuerat in Ecclesia antecedente suam ætatem, quam videre non potuit cum natus non esset. Itaq. affirmat oculatum se testem esse, quod de reliqua Ecclesia dicere non poterat. Sin colligat etiam Author Eminentiss. Petrum Cluniacensem ex eo quod affirmaret de suo tempore, negasse item de Eccesia futura, ac idcirco dixisse *nostri temporis*, vt excluderet tempora consequentia. Non de eo cogitabat tunc Petrus: affirmabat quod videbat fieri in præsenti Ecclesia, videlicet consecrari in Azymo, ac ex eo confirmabat eum ritum legitimũ esse, ac solemnem, sanctumq habendum, quod non secus fieret in præsenti Ecclesia, quã in Antiqua factũ fuisset. Quo nos argumento hactenus vsi sumus. Atq. vt appareat fucatam esse interpretationem, scrutemur scripta Petri Cluniacensis, & eius sensum inuestigemus. Igitur in suo Nucleo de Sacrificio Missæ c. 1. confert Sacrificium legis gratiæ Christianum cum Sacrificijs aliarum Gentium: & præcipuè Iudæorum, agitque de sectarum conditionibus, non de statibus Hominũ c. 1. *Dicite cur sacrificia Christiana vobis non placent?* De legis Sacrificio prout omnes ætates à Christo amplectitur loquitur, et cap. 6. aduersus Iudæos; *Si vestram nouam doctrinam Mundus exaudiat, faciet quod numquam fecerat, & more captiuitatis illius populi absque lege, absque Sacerdotio, absq. Ephod, & Seraphin. Cumque Deo sacrificare cessauerit, & ipsa Dei esse cessabit. Erit sine temporibus gratiæ.* En vides significari tempora legum, non Hominum, & ly *temporis nostri* in Epist. sonare totũ tempus legis gratiæ, & Euãg. nõ vnius Hominis priuati Abbatis Cluniacẽsis. Quod si Pet. Clun.

adhuc hæres? Audi. *Nam cum sint his diebus nostris quatuor in Mundo præcipuæ diuersitates sectarum, hoc est Christianorum: Iudæorum, Saracenorum, & Paganorum si Christiani non Sacrificant, iam nullus in Mundo Sacrificat. Iudæi enim, &c.* Hæc eadem phrasis *diebus nostris, temporis nostri* & totum tempus legis comprehendit, nec ex vnius præsentis ætatis curriculo æstimatur.

CAPVT V.

Omnis antiquitas euoluitur, & Veteres Patres producuntur, ac eorum testimonijs Azymi ritus comprobatur.

VTor phrasi Authoris Eminentissimi, cui morem gerere volo, & cupienti Patrum Testimonia audire satisfacio. Ordinem ætatum sequor.

Discipuli Christi apud Castellum Emaus.

DVm testantur se cognouisse Dominum *in fractione Panis* fatentur Eucharistiam confectã in Azymo accepisse, cum illa dies esset tertia post Pascha, ac proinde vna è septem Azymorum; suscepisse autem eos Eucharistiam & nos supra ostendimus, nec Author Doctissimus diffitetur.

Petrus.

DE eo affirmat Leo IX. & Humbertus Cardinalis, & Gregorius VII. quemadmodum superius diximus. At excipit Purpuratus non proferri locum Petri, & affirmantes esse recentiores Patribus quos postulat. Respondeo eos loqui de Petro Antiquissimo, & Patrum Patre, ac de eo confirmare Azymum consecrasse, & eum ritum Ecclesiam docuisse. Illi & Syrmundo neganti hos affirmantes oppono. Vtris credendum de Petro? Patri Syrmundo & Cardinali Bonæ? an Leoni, & Humberto, & Gregorio?

Andreas.

IN libro eius Passionis receptissimo, ac celeberrimo ita loquens inducitur, *Ego Omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidie Sacrifico.* Si Agnum, & more Agni, non in fermentato, sed in Azymo. Quoties audis Agnum, toties de Azymo commoneris.

Philo Iudæus. Synchronos Apostolorum.

LIbro de Vita Contemplatiua, quæ est Christianorum sui temporis, Authore Hieronymo lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, quos nomi-

ne Essenorum appellat, duo Charitatis Christianæ conuiuia Agapen, & Eucharistiam describit, & diuersas ijs mensas assignat Agapem cum Pane fermentato, Eucharistiam cum Pane Azymo sic: *Ob reuerentiam*, inquit, *mensæ dedicatæ in templi vestibulo: nam & in ea solent proponi Panes cum sale absque condimento alio, sed Panes non fermentati, sed sine vlla mixtura; conuenit enim nobis pura simplicitas*. Hæc Eucharistiam continent.

Dionysius Anno L.

IS libro de Hierarchia Ecclesiastica cap. 3. p. 3. *O diuinissimum, & Sacrosanctum Sacramentum obducta tibi Signorum operimenta dignanter aperi*. Hæc operimenta obducta, figuræ sunt, & signa mysteriorum, quæ in solum panem Azymum quadrant, & sub candido inuolucro teguntur veritas, & sinceritas, & puritas mentis. Azymus panis est afflictionis, Symbolum passionis, pignus Paschatis, præs æternitatis, obses immortalitatis, signum Virginitatis, Argumentum Christi diuinitatis, quorum certè mysteriorum fermentatus omnino est expers, Authore Paulo, à quo ille præ Azymo contemnitur, & reijcitur tanquam Symbolum malitiæ, & nequitiæ. 1. Cor. 3. lege de præstantia, & Mysterijs Panis Azymi Humbertum Cardinalem contra calumnias Græcorum: qua de re infra opportunè.

Tertullianus Anno CC.

Hic lib. 2. ad Vxorem cap. 3. exhortans fæminas Christianas ad reijcienda connubia cum Gentilibus, quibuscum tutò habitare non possent, quòd videlicet suspicarentur ritus, & Ceremonias Christianorum, videlicet ieiunandi, ingeniculandi, Crucem formandi, seque signandi, veneficia, præstigias, & portenta esse: sic ait de sumptione Eucharistiæ. *Non sciet Maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes, & si sciuerit Panem, non illum credet esse qui dicitur: & hæc ignorans quisque rationem sustinebit sine gemitu, sine suspicione Panis, an veneni?* Hic locus pertinet ad Azymum: nam si maritus videret vxorem manducantem Panem vsualem, & fermentatum ante omnem cibum, idest ante prandium, nihil plane sinistrum suspicaretur de illo esu antelucano, cum ientaculum esse posset, quod illi tempori conuenit, & sic vsu venit. Non erat ergo Panis fermentatus, & vsualis, de quo nulla esset probabilis suspicio; ac proinde erat Azymus, quem etsi monstratum, Panem mulier diceret, non crederet maritus, cum vulgaris Panis non esset. Non quadrat in Panem fermentatum gemitus, nec timor mali, nec suspicio veneni. Equis enim ad aspectum Panis vsualis, & ordinarij ingemiscat, trepidet, inhorrescat? Nouus ergo, & insolitus Panis erat, cuius aspectu Vir conturbatus ingemisceret. Itaque vt constet causa formidinis, & ratio suspicionis, Panis est Azymus statuendus. Hunc locum more suo nobis vult eripere Author eruditissimus, cum ad genium suum trahens, & ad fermentatum accom-

modans ; sed frustra laborat ; & gementem ad gemitum gentilis mariti detorquet. Clauam Herculi non extorquebit. Audiat optimum Interpre-

Pamelius.

tem Pamelium. *Facit hic locus ad confirmationem veritatis Corporis Domini in Eucharistia, quia hinc patet non esse Panem communem, sed iuxta quod est Matth. 6. supersubstantialem.* Quæ verba indicant Panem Azymum, non solum, quia non communem, re, cùm sit Corpus Christi, non Panis: sed etiam vsu, cùm minimè vsualis sit, sed Azymus. Manifestum facit istum sensum de Azymo alter locus Tertulliani lib. 5. contra Marcionem in principio. *Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis Azymi. Ergo Azymi figuræ erant nostræ apud Creatorem. Sic & Pascha nostrum immolatus est Christus. Quare Pascha Christus? si non Pascha figura Christi? per similitudinem Sanguinis Salutaris, & pecoris Christi? quid nobis, & Christo imagines imbuit solemnium Saluatoris, si non erant nostræ?* Habes hic Sacrificium cruentum Crucis in pecore, id est Agno, figuratum: habes & incruentum Eucharistiæ in eodem Agno in Paschate immolato cum Azymis: moneris à Tertulliano has esse figuras nostras, id est sacrificantium, & communicantium Agnum illum Christum immolatum; & perspicuè Tertullianus ponit Azymos. *Azymi figuræ erant nostræ, estis Azymi: & Fermento veteri expurgato*, id est Fermentato Pane remoto. Quid desideratur ad Azymum stabiliendum? Itaque in eum locum idoneus

Carol-Mor

Commentator Carolus Moreau. *Eucharistia*, inquit, *in Azymis consecrata iuxta figuram Azymos requirit, & puros suscipientes. In rem Sanctissimæ Eucharistiæ plurimum faciunt hæc: cum tam Azyma in quibus Christus ex lege impleta necessario consecrauit, quam esus Agni, & Sanguis eius fuerint*

figuræ

figuræ nostri Sacramenti. Dedit nobis Carolus sensum, quem adimere conabatur Author Eminentissimus Obduco testimonium aliud Tertulliani lib. 6. contra eumdem Marcionem c. 6. *Professus itaque se concupiscentia concupisse edere Pascha suum, & suum Acceptum Panem, & distributum discipulis, Corpus illud suum fecit. Panem suum* vocat, & *Corpus suum* dicit intra Paschalem Cænam consecratum, igitur in Pane Azymo. Sic Carolus Moreau ibi. *Suum: quia Iudæorum Pascha erat, qui erant Populus Dei Creatoris Patris sui, & Agnum, & Azyma produxerat.* Si Author est Tertullianus Christum in Azymo consecrasse, & hic ex eius Cõsecrationis institutione manauit, quæ communis est tum Latinorum, tum Græcorum sententia, docuit nos Tertullianus ex Christi instituto in Azymo conficiendum.

Origenes Anno CCXXX.

Tractatu in Matth. 35. in principio. *Sic ergo apparet quod vna, eademque dies erat Paschæ quando oportebat immolari Pascha Azymorum, & quando oportebat tollere fermentum vetus, & Azyma manducare cum Carnibus Agni. Et dies quidem Paschæ vna erat. Azymorum autem septem, connumerata videlicet die Paschæ cum cæteris sex. Secundum hæc forsitan aliquis imperitorum requiret cadens in chronismum, ex quo Iesus celebrauit more Iudaico Pascha corporaliter, sicut etiam primam diem Azymorum, & Pascha dicens, quia conuenit, & nos Imitatores Christi similiter hæc facere, non considerans quoniam Iesus, cum venisset temporis plenitudo, & missus fuisset, factus est de Muliere, factus est sub lege, non vt eos qui sub lege erant relinqueret, sed vt educeret eos ex lege: si ergo vt educeret eos qui erant sub lege, quanto magis non conuenit illos intrare in legem, qui prius fuerant extra legem.*

Ergo de littera quidem egredimur legis, intra virtutem, aut spiritualem legem constituti spiritualiter celebrantes, implemus omnia, quæ illis corporaliter celebranda mandantur. Expellimus enim vetus fermentum malitiæ, & nequitiæ, vt in Azymis sinceritatis, & Veritatis celebremus Pascha, Christo nobiscum coepulante secundum Voluntatem Agni dicentis, nisi manducaueritis Carnem meam, & Sanguinē meum non habebitis vitam in Vobis. Omnia suppeditat Origenes: Christus celebrat Pascha secundum legem cum Azymis, non ad tradendum fidelibus ritum Iudaicum, sed ad præstandam figuram illius sufficiendo in eius locum spirituale Sacrificium Eucharistiæ in Azymo conficiendum, expellendo vetus fermentum peccati, inducendo nouum Sacramentum gratiæ in Azymis sinceritatis, & veritatis in corpore suo immolato instar Agni in Altari, & manducato à Christianis, ceù salutari cibo ad Vitam æternam comparato.

Cyprianus Anno CCLX.

PRæstabit hunc, Author sermonis in Cœna Domini, qui etsi fortasse non est Cyprianus, is creditur esse à multis, eumque recipit Morilius, suadent nonnulla idonea manuscripta. Qui certè Pater, Antiquissimus, Doctissimus, & Sanctissimus est habendus, teste Bellarmino, qui eum his nominibus appellatum laudat lib. 2. de Sacramento Eucharistiæ capit. 9. ac eum post Origenem producit ad probandam veritatem Corporis Christi

Bellarm.

in

in Euchariſtia. Initio ſermonis ſic: *Cœna diſpoſita inter Sacramentales epulas obuiauerunt ſibi inſtituta antiqua, & noua, & conſumpto Agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum Magiſter apponit diſcipulis.* Rurſum. *Panis Itaque hic Azymus, cibus verus, & ſincerus per ſpeciem, & Sacramentum nos tactu Sanctificat; fide illuminat, Veritate Chriſto conformat, & ſicut Panis Communis, quem quotidie ſumimus, Vita eſt corporis, Ita Panis iſte ſuperſubſtantialis Vita eſt Animæ, & Sanitas mentis.* Hic inuictus eſt locus; ponit Azymum Panem pro Eccleſiaſtico: opponit eum noſtro vſuali, & quotidiano fermentato. Vtitur huius exemplo tamquam rei diſtinctæ ad explicandum effectum Panis Azymi Sacramentati, ideſt vitam per illum ſpiritualem Animæ communicatam. Præterea: *Quibus vnus eſt Panis, vnum eſt Corpus, & omnium cor, & Anima vna vni Chriſto adhærens cætera omnia quaſi fermentata reſpuens in vnius Azymi ſinceritate lætatur.* Lectore hic tantum opus eſt. Affero aliud paris momenti. Imo & maioris. *Finem igitur,* inquit, *legalibus cæremonijs impoſiturus parari ſibi voluit Paſcha, & ex conſuetudine Legis ea quæri, quæ ſolemnitas exigebat Agnum aſſum, Panem Azymum, & lactucas agreſtes. Non oportet eſſe fermentarios noui teſtamenti miniſtros; puras ſinceraſque mentes Sanctum quærit Conuiuium.* Ideſt in Azymo exhibitum, ſuo candore puritatem, & ſinceritatem repræſentante. Nec obijcias Azymos intra Cœnaculum, & Cœnam manſiſſe, nam ij ad noſtras Aras, & re, & ſignificatione tranſierunt, vetante Cypriano, ne quis noui teſtamenti miniſter fermentatum retineret, induceretue in

Christiana, & Sacrosancta Conuiuia. Quasi diceret: *procul ò procul esse profani* illam indicens sententiam: *Non oportet esse fermentarios noui Testamenti Ministros.* Qua tanquam cælesti machera fermentarij cuiusque Authoris opinio iugulatur.

Gregorius Nazianz. Anno CCCLXX.

ORatione secunda in Paschate. *Magna, & immaculabilis Hostia legalibus sacrificus immixta est: Hinc fermenti vsus: hoc est veteris, & acidæ malitiæ ad septem dies interdicebatur.* Et infra *Discipulis Sacramentum impertit.* Cui lex interdicebat celebritatem Paschalem, eum admitteret gratia ad celebrandam Eucharistiam? Iterum Gregorius postquam esum Agni luculenter descripsit. *Ne modus quidem*, ait, *manducationis prætereundus est, cum nec lex ipsa eum prætermiserit, sed contemplationem in verbis, & littera eousque elaborauerit. Victimam enim festinanter absumentes, & Azymos Panes cum Lactucis agrestibus comedentes, & lumbis accincti.* En Azymum Panem cum esu Agni coniunxit in mystica immolatione Paschalis nostri Agni. Et mox: *Tale est festum quod hodierno die agitas, talibus epulis, tum Natalitijs, tum funebribus te pascit, qui tua causa, & natus, & passus est. Tale Paschatis Mysterium celebras.*

Epiphanius Anno CCCLXX.

HÆresi 30. rotundum ponit pro Azymorum veritate, & perspicuum testimonium, loquens de hæresi Ebionæorum, quæ multi-

plex fuit, ex diuersis erroribus cōsarcinata, & quasi Vestis ex varijs centonibus consuta, veris falsa commiscens opinione chimærica, sic ait: *Baptisma porro etiam ipsi accipiunt, præter hoc quod quotidie baptizantur, & in Aquis se mergunt*. Prima pars verum continet, & Sacramentum baptismi tradit, sed hanc corrumpunt illa secundæ partis adiecta: *Quotidie baptizantur & in Aquis se mergunt*. Hac ratione progreditur narrando Epiphanius: *Mysteria autem faciunt ad Imitationem Sanctorum in Ecclesia ab anno in annum per Azymos, id est non fermentatos Panes*. Et quidem hoc rectè, & ex instituto Christi, & more maiorum Apostolorum, & Patrum; Tum pergit Epiphanius. *Alteram Mysterij partem per aquam solum*. Hoc perperam, & contra Christi institutum, & præter consuetudinem Sanctorum. Ecce more suo Ebionæi uerum falso admiscent in Eucharistia. Sicut in baptismo fecerant. Verum in hostia retinebant Azymum adhibentes: falsum intrudebant in Calicem Aqua sola infusa. In primo Catholicè, in secundo Hæreticè; quo nihil manifestius pro Azymi traditione afferri potest. Mirum est autem tentasse Authorem Doctissimum, & Religiosissimum hoc testimonium in contrarium sensum adducere, & in fauorem fermentati vertere, detorquendo primam partem ad sensum secundæ, ceu error in vtraque contineretur, qua de re nos cum eo aliàs officiosè contendimus. Omnes certè Authores Latini hoc testimonio ad ritum Azymi adstruendum, & confirmandum, tanquam certo, & indubitato vtuntur. Quorum vnus est Gabriel Vasquez de Eucharist. disp. 174. c. 1. *Constat*, inquit, *ex Epiphanio, antiquitus tempore Ebionitarum etiam Ecclesiam* *Vasquez.*

Gra-

Græcam in Azymis consecrare consueuisse. Grauiori propter purpuram calculo id confirmat Card. Baronius Anno Christi 34. vbi profert hoc testimonium Epiphanij. Consentit Spondanus ibidem.

Baron.
Spond.

Gaudentius Anno CCCLXXXX.

ÆQualis Chrysostomo fuit. Tractatu 2. in Exodum diligenter, ac subtiliter omnes Cæremonias Cœnæ Paschalis Iudaicæ à Deo lege imperatas expendit, ac expensas accommodatæ Cœnæ à Christo Domino in suo Paschate institutæ. Inter alia. *O Altitudo diuitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei! Pascha, idest transitus Domini, ne terrenum putes quod Cœleste effectum est, per eum, qui transit in illud, & fecit illud suum corpus, & sanguinem*. Illud propriè: *Caro etiam Agni cum Azymis panibus, & lactucis agrestibus est edenda, vt cum Corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris fletibus affligamus*. Manducantes scilicet Azymum, qui *Panis afflictionis*, dicitur: vnde lacrymæ eliciuntur, secundum illud Prophetæ; *Panem sicut cinerem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam*. Et rursum: *Manducaui Panem doloris*; Et in rem magis: *Cibabis nos Pane lacrymarum*, cui respondet *Cibauit eos ex adipe frumenti*, quæ non conueniunt fermentato. Ita nos docet Gaudentius nomine; re ac mystice Deflentius.

Ioannes Chrysostomus Anno CCCC.

MAgnum hic secum Auctoritatis pondus, & quidem aureum, trahit. Multa in eo sunt momenta. Affero nonnulla grauiora. Ho-

mil.

mil. 83. in Matth. *Comedentibus eis accepit Iesus Panem, & fregit; quamobrem Passionis tempore hoc mysterium tradidit, vt vtique dicamus ipsum veterem etiam legem scripsisse, & omnia quæ in illa sunt propter nouam hanc adumbrata fuisse. Hac igitur de causa veritatem figuræ adiunxit. Vespera vero illa adimpletionis temporum signum erat, & quod iam ad consummationem ipsam res peruenerunt, gratias egit, vt nos instrueret, quo modo hoc Mysterium facere debeamus.* Ponit exemplum Christi consecrantis in Cœna iuxta legem in Azymo, & ad Doctrinam, ritumque traducit. Idem in cap. 26. Matthæi. *Primum Azymorum diem illum dicit, qui Azyma præcedebat; consueuerant enim ab ipsa semper vespera diem numerare. Illius ergo meminit in cuius vespera Pascha immolare debebat.* Statuitur Azymus in ea Cœna, & institutio Christi conficientis in Azymo asseritur, ex qua pendet traditio ritus in eodem Azymo consecrandi. Tum adicijt illam sententiam ex homil. 81. In Matth. *Tunc Salus orbi afferenda, tunc tradenda Mysteria:* cum in Azymo conficiebat. Homil. 82. *Ad aliam eos mensam Sacri horroris plenam prouocans dicit, accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Ad mensā Eucharisticā in Templo Christianorum consecrato Azymo instructam, quam Christus in Cœnaculo parauerat, prouocabat, Sacri plenam horroris, quē concepta reuerentia vbi verus, & viuus Agnus incruento sacrificio immolabatur, incutiebat.

Hieronymus Anno CCCCX.

COmmentarijs in Matthæum super caput 26. ad illa Verba: *Cœnantibus autem illis. Postquam, inquit, Pascha typicum fuerat impletum, & Agni Carnes cum Apostolis comederat, assumit Panem, qui Confortat homi-*

nis confortat, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum, vt quomodo in præfiguratione Melchisedech summi Dei Sacerdos, Panem, & Vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui Corporis, & Sanguinis repræsentaret. Ritum institutum à Christo conficiendi in Azymo inducit in hac Paschali Cœna Hieronymus. Concinit Sacrum sibi nomen in cap. 1. Epist. ad Titum propè finem, vbi exprimit in hoc Paschate Azyma: *Siquis Pascha*, inquit, *agit, non in Azymis sinceritatis, & veritatis, vt exterminet ex Anima sua omne vetus fermentum malitiæ, & nequitiæ iste attendit fabulis, & vmbras sequitur.* De Communione sui temporis agit Hieronymus. Si in Altari Panis non Azymus, sed fermentatus poneretur, inepta esset illa exhortatio ad Azymum cum eius vituperatione coniuncta.

Confirmatur ex dicto alio Hieronymi, in ijsdem commentarijs in cap. 1. eiusdem Epistolæ ad Tit. dum comparans Eucharisticum Panem cum Panibus propositionis ait, *Tantum interest inter propositionis Panes, & Corpus Christi, quantum inter vmbram, & corpora.* Ea comparatio rem continet Azymorum: erant quippe Panes propositionis Azymi, non fermentati. Quemadmodum constat ex Sacra Scriptura, & nos suis postea locis dicemus, idoneis productis Authoribus.

Augustinus Anno CCCCXX.

PRimùm tradit Christum celebrasse Pascha in Azymis Luna quartadecima, & consequenter exemplum consecrandi præbuisse lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 78. & lib. 32. contra Faustum c. 11, & serm. 6. de verbis Apostoli c. 5.

Asser-

Afferamus testimonia: Serm. 6. de Verbis Apostoli cap. 5. *Celebratur*, inquit, *Pascha in veteri Populo sicut nobis occisione Agni cum Azymis.* Nota: *sicut nobis.* Igitur in Azymis Augustinus suo tempore conficiebat. Pergit: *Azyma autem nouam Vitam, hoc est sine vetustate fermenti. Vnde nobis Apostolus dicit, Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua consperſio, sicut estis Azymi.* Non possunt ista cohærere cum fermentato in Altari posito, & ex Altari accepto: cum illius significatio longe ab illa Pauli, & Augustini doctrina abhorreret.

Lib. 2. contra litteras Petiliani: *Aliud est*, ait, *Pascha quod adhuc illi de Oue celebrant, aliud autem quod nos in Corpore, & Sanguine Domini accipimus.* Animaduerte, in oue tantùm esse discrimen. Ceremoniæ, & ritus idem. Patet lib. 32. contra Faustum c. 11. *Quid? quod & Pascha nobis*, inqnit, *obijcitur celebrari, nec quod ita vt Iudæi celebramus insultat, cum ouem magis nos habeamus in repræsentatione Euangelij non in Vmbra futuri, eiusque occisionem cum quotidie, tum maxime anniuersaria celebritate non venturam præsignemus, sed factam commemoremus.* Locus Idoneus. Habes Pascha celebrari, sed Mysticum, & figuratum citra reprehensionem. Habes Missam quotidianam cum incruento Sacrificio priuatam. Habes solemnē illam Aniuersariam in die Cœnæ Domini, cui aliæ priuatæ similes sunt. Ac ne desideres Azyma, addit Augustinus eodem loco: *Azyma vero, qui rectæ fidei Christiani sunt, non in fermentato veteris Vitæ, sed in ipsius fidei veritate, & sinceritate custodiunt.* Non hæc adderet Augustinus, si in Fermentato quotidianum illud Missæ Sacrificium conficeretur. Nec enim posset improbare Fermentatum, Azymum commendare, si Fermen-

tatum in Ara collocatum videre?

Theodoretus Anno CCCCXL.

IN Exodum qu. 55. *Quid significat: Non immolabis cum Fermento Sanguinem Sacrificij mei? Panes non fermentatos Altari offerebant: Fermentatos autem offerre prohibet, ex sensibilibus docens nos ea, quæ pertinent ad intellectum. Cum enim Panis Azymus, ideſt minimè fermentatus ſit extemporalis, Fermentatus autem habeat aliquid fermenti veteris, prohibet Lex, ne quid Ægyptiacæ doctrinæ rebus Diuinis admiſceatur: quemadmodum, & Dominus Sacris Diſcipulis dixit: Cauete à Fermento Scribarum, & Phariſæorum.*

Leo I. Papa Anno CCCCL.

EVndem Azymi ritum ſignificauit Leo Papa Serm. 7. de Paſſione Domini, dum ait de eſu Agni Paſchalis in lege Moyſis accommodato ad ſacrificium legis gratiæ. *Antiqua obſeruantia nouo tollitur Sacramento: Hoſtia in Hoſtiam tranſit, ſanguinem ſanguis excludit, & legalis feſtiuitas dum mutatur impletur.* Non impleretur autem, ſi Azyma defuiſſent, quæ ad feſtiuitatem pertinebant.

Euſebius Emeſenus: Veriùs Gallicanus. Anno DL.

SErmone Dominicæ in Ramis Palmarum. *Primò autem die Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? Paſcha enim hoc loco Agnum illum vocat, qui in Paſcha immolabatur, quem nocte illa comedebant in Azymis, & lactucis a-*

greßibus. Deinde: *Exponit Dominus hoc in loco, quid significaret cum alibi diceret nisi manducaueritis Carnem Filij Hominis, & biberitis eius Sanguinem non habebitis Vitam in Vobis. Ecce Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech Panem, & Vinum virtute ineffabili in sui Corporis, & Sanguinis substantiam conuertit: sicut enim tunc, & viuebat, & loquebatur, & tamen à discipulis comedebatur, & bibebatur, ita modo integer & incorruptus manet, & à fidelibus suis in Panis, & Vini Sacramento quotidie bibitur, & manducatur; mutantur enim ista in illa, comeduntur, & bibuntur illa in istis*. Igitur Agnus in hostia, Azymus in Azymo Eucharistico. Ecquis ambigat, cum supra posuerit in Azymis?

Gregorius Magnus Anno DC.

EVm nobis assignant Græci, quem Dialogum appellare solent. Illius manifestum producit Testimonium Gennadius in defensione quinque capitum Concilij Florentini; aliter apologia contra Marcum Ephesium: quod eiusmodi est: *Ecclesia Romana Sacrificat Azymo, indicans Christum assumpsisse Carnem absque vlla commixtione*. Verum quoniam hoc testimonium hodie in libris Gregorij non inuenitur, & idcirco reijcitur ab Authore Eminentissimo, ac infirmum propterea redditur, quamquam illud recipiat grauissimus Doctor D. Tho. 3. p. q. 74. A. 4. Quem cum item suspenso nunc iudicio reijciat idem Author §. 6. aliud ex iusto Gregorij oppere afferre volo, quod certum, & indubitatum sit. To. 2. homil. 23. ad illud: Edent *Carnes, & Azymos Panes. Nocte*, inquit, *Agnum comedimus, quia modo in Secramento Dominicum Corpus accipimus, quando adhuc inuicem nostras conscientias non videmus, quando tamen Carnes assatæ sunt; quia scilicet qui Carnes aqua coquis*

Gennad.

D.Thom.

dis-

dissoluit, Ignis vero sine aqua excoquendo roborat. Carnes vero Ignis coxit, quia cum vis Passionis ad Resurrectionem valentiorem reddidit, atque ad incorruptionem roborauit. Se sola Redemptoris Sacramenta percepta ad veram Solemnitatem mentis non sufficiunt nisi bona opera iungantur. Vnde subdit: & Azymos Panes cum Lactucis Agrestibus. Panes sine Fermento comedit; qui recta opera sine corruptione vanagloriæ facit, qui mandata misericordiæ exhibet sine admixtione peccati, ne peruerse diripiat quod quasi recte dispensat. Vnde increpando dicitur, & Sacrificate de Fermento laudem: De fermento laudem immolat qui Deo Sacrificium de rapina parat. Omnia quæ in Veteri Paschate iubebat lex, moraliter more suo Gregorius exponit, nosque exponendo erudit, nullum in eo locum esse Pani Fermentato, quem prorsus excludit. Quomodo ergo eum admitteret ad Consecrationem? si ne ad moralem quidem significationem admittit? Procul, ait Gregorius, ab Aris fermentum, à quo Deus abhorret, & à Sacris arcet. Vnde Amos per Ironiam dicit. *Sacrificate de Fermento laudem*. Quo dicto punguntur Hebræi qui pro Deo Idola celebrant, & in Altari pro Azymo Fermentum offerebant, quemadmodum Hieronymus, & Rupertus interpretantur, vt patet ex contextu; Gregorius enim refutat Fermentarios, quasi temerantes sacrificium intruso fermentato, quod superstitionẽ sapiebat, & Idololatriam redolebat.

San-

Sanctus Eligius Episcopus Nouiomensis Anno DCLX.

HOmil. 14. Sic. *Istius Agni carnes assas comedamus, vt percepturi Sacramenta Corporis eius, ab omni fluxu concupiscentiæ carnalis nos emundemus, & totos nos virtutibus, & igne S. Spiritus roboremus. Edendæ sunt quoque carnes istæ cum Azymis panibus, & lactucis aggrestibus. Azyma dicimus absque Fermento; Fermentum vero, malitiam designat, & dolum. Absque Fermento igitur Agnum comedimus: si Sacram Eucharistiam sine malisia, dolo, & simulatione in sinceritate bonæ vitæ percipimus.*

Ioannes Damascenus Anno DCCXXXV.

HVnc Nobilem Azymi in septimo sæculo é media Græcia Authorem habemus. Lib. 4. de fide c. 14. De Sanctis, & immaculatis Christi Mysterijs. *Suscepturus voluntariam pro nobis mortem in nocte qua se ipsum obtulit, Antiquum Pascha cum discipulis suis manducans, & implens antiquum testamentum lauit pedes discipulorum: Frangens Panem dedit eis.* Et confirmans Panē illū Testamēti [haud dubie Azymum] conuerti in Corpus Christi: *veneremur*, inquit, *ipsum omni puritate Animi, & corporis. Hunc Panem significabant Panes propositionis.* Iam indicat Azymum Attende. *Hæc est pura scilicet Hostia, & incruenta, Corpus videlicet, & Sanguis Christi in stabilimentum Animæ, & Corporis inconsumptum, & incorruptum Omnimodi nocumenti, Sordis omnis Purgatio.* Respicit ad dictum Pauli 1. Cor. 5. *Expurgate vetus fermen-*

tum, vt sitis noua consperſio, ſicut eſtis Azymi. Quid? quòd ly *omni puritate* ſapit illud aliud. *In Azymis ſinceritatis, & veritatis.*

Paſchaſius Rathbertus Anno DCCCX.

DE Corpore, & Sanguine Domini c. 20. *Hæc eſt namque noua, & vera conſperſio ſinceritatis, & veritatis, vt ſimus Azymi ſine fermento malitiæ, & nequitiæ. Nam in Calice nihil aliud bibimus quam Sanguinem, vbi & nos per aquam admixti couniti ſumus. In Pane vero nihil præter Corpus, vbi nos per Chriſti conſperſionem eius iam membra ſumus, quæ nimirum conſperſio per Aquam Spiritus Sancti fit, de qua Dominus in Euangelio: Qui credit inquit in me, flumina de Ventre eius fluent aquæ viuæ, & continuo Euangeliſta; Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Hæc igitur conſperſio de multis granis fecit vnum Corpus: Corpus in quam ſinceritatis, & veritatis. Si tamen ſumus Azymi, ideſt abſque fermento malitiæ, & nequitiæ, vt digne hunc Panem de hac aqua conſperſum accipere poſſimus.*

Rhabanus Maurus Anno DCCCXXXV.

ILluſtre, ac irrefragabile Azymo Euchariſtico teteſtimonium dedit, de inſtitut. Clericorũ l. 1. c. 31. *Ergo,* inquit, *Panem infermentatum, & vinum aquæ mixtum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti Sanctificari oportet.* Iterum. *Quod autem Panem Sacrificii ſine fermento eſſe oporteat teſtatur liber Leuiticus, vbi commemoratur Dominum per Moyſem ita præcepiſſe. Omnis, inquit, oblatio quæ offertur Domino abſque fermento fiat: nec quicquam fermenti, aut mellis adolebitur in Sacrificio Domini. Credimus ergo Panem*

illum quem primum Dominus in Cœna Myſtica in myſterium Corporis ſui conſecrauit infermentatum eſſe, maxime cum in tempore Paſchæ nulum fermentum cuiquam veſci, ſed nec in domo habere licebat, Domino illud in lege præcipiente, ſicut Exodus teſtatur. Huic tam perſpicuo claroque Teſtimonio nebulam conatur offundere Author rerum Liturgicarum Doctiſſimus, conflatam ex ſitu puluerulento vnius Codicis Vaticani, in quo ſunt quædam interpolata, quam nos infra depellemus. Nunc tamen alium dabimus locum, qui huic fidem faciat. Commentarijs in librum Numeri c. 6. ſic: *Et cum ſciret* (Intellige Moyſes] *verum Paſchæ immolandum eſſe Chriſtum, Corporale immolari mandat Paſcha. Cumque ſciret diem feſtum agere debere in Azymis ſinceritatis, & veritatis, tamen de farinæ Azymis præcipiebat.* Rurſum: *Sed, & Euchariſtiæ, ſiue percipiendæ, ſiue eo ritu quo geritur explicandæ, vel eorum quæ geruntur in Baptiſmo verborum, geſtorumque, & ordinum, atque interrogationum quis facile explicet rationem? & tamen hæc omnia operta licet, & velata portamus ſuper humeros noſtros, cum ita implemus ea, & exequimur, vt à Magno Pontifice, atque eius Filijs tradita, & commendata ſuſcepimus.* Concinunt hæc verba de Figuris Exodi cum Figurato Euchariſtiæ Sacrificio, vt ibi Azymus Panis Agno Cruento adhibitus, Azymo incruenti Agni Sacrificio reſponderet. Rurſum. Lib. 1. in. Exodum c. 23. *Sed ſola Redemptoris noſtri præcepta Sacramenta ad veram ſolemnitatem mentis non ſufficiunt, niſi eis quoque, & bona opera iungantur. Quid enim prodeſt Corpus, & Sanguinē illius ore percipere, & ei peruerſis moribus contraire? vnde bene adhuc ad comedendum ſubditur: & Azymos Panes cum Lactucis agreſtibus. Panes quippe ſine Fermento comedit, qui recta opera ſine corruptione vanæ glorie exercet, qui mandata*

misericordiæ sine admixtione peccati exhibet, ne peruerse diripiat, quæ quasi recte dispensat. Hoc quoque peccati fermentum bonæ suæ actioni miscuerunt, quibus Prophetæ voce per increpationem dicitur Venite ad Bethel, & impiè agite. Atque post pauca: & sacrificate de fermento laudem. De fermento namque laudem immolat, qui sacrificium Deo de rapina parat. Lactucæ vero agrestes, valdè amaræ sunt: carnes vero Agni cum Lactucis agrestibus sunt edendæ: vt cum Corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus: quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho peruersæ amorem vitæ. Vbi & subditur: Non comedetis ex eo crudum quid, neque coctum aqua.

Stephanus Eduensis Anno DCCCCL.

DE Sacramento Altaris c. 12. *Panis ille debet esse triticeus. Quia Dominus grano tritici se comparauit dicens: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Vnum granum fuit, & solum ante resurrectionem: post fructificauit, & multiplicatum est per fidei propaginem. Quot fideles tot sunt grana illi grano Deifico vnita, ex quibus conficitur vnum Corpus quod est Christus, & Ecclesia. Azymus est, vt secundum Apostolum, non in Fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in Azymis sinceritatis, & veritatis.*

Fulbertus Carnotensis Anno MXXX.

ET si Auctor Eminentissimus velit Fulberti testimonium reiicere, quod fuerit Synchronos Papæ Leonis IX. retinendum tamen est illud, & afferendum, tamquam idoneum, cum Fulbertus anti-

quior

quior fuerit Leone, floruit quippe ante illud schisma Michaelis Cerularij, cuius initiū ponitur anno MLIV.

Igitur Fulbertus Epist. 2. narrando Historiam de Hostia, quam promotus ad Sacerdotium de manu Episcopi susceperat, & pergameno inuoluerat, vt per quadraginta dies paulatim carpendo de ea communicaret, iuxta ritum illius regionis, perspicuè significat Hostiam illam, sicuti sūt nostræ, ex Azymo confici solere. Decerpo nonnulla. *Repentina inquisitione me permouisti de Hostia, quam pauloante promotus de manu Episcopi suscepisti, quæ ratio sit eā videlicet, vsque adquadragesimum diem vsu quotidiano consumere.* iterum: *Nostri Episcopi Prouinciales in huiusmodi ritum omnes consentiunt.* Rursum: *Episcopus qui vices Christi tenet Sacerdotales viros in plebem subiectam missurus Sacri Corporis Eucharistiā per quadragenos dies sumendam distribuit.* Vbi etiam Scholiastes. *Fit mentio*, inquit, *de Hostia, quæ reseruabatur, & ijs qui ad Sacerdotium promouebantur dabatur de manu Episcopi, vt vsque ad quadragesimum diem consumerent.* Non poterat Hostia ex fermentato fieri, quæ in diem quadragesimum seruabatur; tam enim obduruisset vt manducari non posset. Præterea vocabulum Hostiæ Azymum sonat. Et quoniam vnum ille nobis ex his, & quidem idoneum scriptorem vult eripere, scilicet Hildebertum Turonensem Episcopum, qui floruit anno 1110. medio fermè post Leonem IX. sæculo; volo eum vindicare, & Latinis reddere. Ille igitur in versibus de mysterio missæ ita cecinit. *Hildebert.*

Non fermentato, si mens tibi purior adsit,
Excoquat & Carnis fluxa supernus Amor.

Hildeberto volo adiungere Theophylactum, tum

quòd Græcus est, tum quod suppar Leonis, tum quod Chrysostomi sectator: multis in locis Azymum proponit videlicet Matthæi. c. 26. Marci c. 19. Lucæ c. 22. Eligo vnum ex omnibus in Epist. ad Corintios. c. 5. *Etenim*, inquit, *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus: quia Azymorum hoc fermento vacantium Panum meminit: atque hi Paschatis tempore edebantur, simulque per allegoriam, quid sint Azyma explicauit, nimirum affectio, vel animus vitijs non contaminatus, quid Pascha sit allegorice in medium promit. Christus inquiens pro nobis mactatus est, & immolatus. Debemus igitur Azyma, idest omnem ab omnibus vitijs puritatem amplecti. Vetus enim fermentum omnis generis vitia nominat*. Adijcio pauca ex comentariis in Lucã, quòd consonant Chrysostomo. *Cuius gratia Pascha facit per omnia ostendit, quod vsque ad extremum anhelitum non sit contrarius legi. At qui comedamus, & nos hoc Pascha spiritualiter, & intelligamus dies Azymorum, omnemque in spirituali lumine conuersationem, quæ nullam vetustatem primæ in Adamo inobedientiæ habeat: in qua conuersatione si fuerimus, impinguandi sumus misterijs Christi.*

Manuscripta Vaticana.

DE his produco Leonis Allatii Viri Doctissimi testimonium, à quo memini me audire, cum essem Romæ Qualificator S. Officii, ac huiusmodi quæstio agitaretur, in nonnullis vetustissimis Bibliothecæ Vaticanæ, cuius erat Phylax, codicibus inueniri expressa pro ritu Azymi, & traditione illius in Vniuersali Ecclesia testimonia. Quærat illa, cui vacat. Ego de fide hominis eruditissimi dubitare non possum, Poterat Eminentissimus Cardinalis, cui per-

peruia sunt illa penetralia, & noti loculi pro sua singulari diligentia Codices eos inuestigare, & testimonia proferre. Idque omnes sacrarum rerum studiosi enixè postulamus Faciet ille, quod solet, idest de litteraria Republica benemereri.

Caput VI.

Argumentis, siue Coniecturis contra ritum Azymi Eucharistici adductis, Respondetur.

QVod solemne est accuratis, & religiosis Scriptoribus, cum instituunt Apologias, & Aduersarios refutant, eorundem Verba, & Responsa producere, vt constet vtrinque fides, & in proponendo, & in respondendo, id plane seruare volo, cùm vt fidei meæ, ac Iustitiæ consulam, tum vt dictis dicta respondeant, appareatque legentibus mea in referendo fideliter accuratio, & in refutando aptè, ac iustè Religio.

Prima Particula §. 2. Initio.

ORta est quatuor ferme seculis post sextam Synodum controuersia, de Azymo, & fermentato, & diu agitata inter Græcos, & Latinos, partium potiùs quam veritatis inueniendæ studio, vt in similibus fieri solet. Atque hinc factum est, vt pertinaciter contenderint suam quisque consuetudinem à Christo, & Apostolis ad nostra vsque tempora deriuare.

Quòd ad Græcos attinet, ij litem hanc primi mouerunt, & quidē iniuria, introducto Fermēto, uitupera-

to, imo, & proſcripto Azymo, qui vigebat. Secus Latini, Iure ſuo, ac ſummo ritum veterem à maioribus traditum defenderunt, depulſa iniuria, remoto errore ſibi à Græcis impoſito, nec tam illa controuerſia fuit, quàm Calumnia malitioſe conficta à Michade, Acridano, Pectorato, & impudenter afficta Eccleſiæ Latinæ. Hoc nomine iilam controuerſiam vocat Humbertus Syluæ candidæ Epiſcopus, & Cardinalis in ſuis hac de re ſcriptis aduerſus Græcorum Calumnias. Nulla quippe eſſe poterat de traditione Apoſtolica Cõſecrandi in Azymo controuerſia. Non igitur ſtudio partium à Latinis, ſed Iuris, ac veritatis cauſa ſuſcepta Ritus Sacri defenſio. Illa Calumnia Græcis vitio: Illius depulſio Latinis laudi tribuenda. Illi perperam, hi recte fecerunt. Illi proſcriptionem moliebantur, hi præſcriptionem tuebantur. An Leo IX. Gregorius VII. Innocentius III. Eugenius VI. Humbertus, Anſelmus, Rupertus, Algerus, S. Thomas, S. Bonauentura, imo Florentini Patres, & Vniuerſa Eccleſia Latina, Partium, [quæ factioſa res eſt] ſtudio, non amore Religionis de ritu Azymi ſeruando, tuendoque aduerſus Nouatores illos Græcos decertarunt? Temeritas fuit illa Græcorum, nouitate introducta audacter, pertinaciter retenta. Religio Latinorum fuit, à quibus inſtitutio Chriſti ritè accepta, Traditio Eccleſiaſtica piè, fideliterque ſeruata, religioſè, conſtanterque defenſa. Non igitur *Pertinaciter*,

Humbert.

Particula Secunda.

Pertinens ad Caput quæstionis. Sic ait Eminentissimus Cardinalis, & Eruditissimus Scriptor.

I*Nquirendum est, quo Pane vsa sit in Sacrificio Vetus Ecclesia? Azymo ne? An fermentato?* Mox: *Vtrum apud Latinos semper in vsu fuerit Azymus Panis, vel potius antiquitus Fermentatum adhibuerint: & postea Azymum receperint, & quo id tempore factum sit?* Huic quæstioni perpartes respondet §. 3. ita. *Quod igitur Vetus Ecclesia Fermentato Pane in partibus quoque Occidentalibus diu vsa sit, probatur.* Quam diu autem sit vsa dicit §. 3. probabili coniectura ductus *circa annum Christi 860. nondum vsum Azymi in Latina* Ecclesia *viguisse*: Ac proinde annos 860. Fermentati ritum tenuisse. Quod postea extendit ad annos mille. *Doceant me,* inquit, *an post Christum, & deinceps post annos mille vlla vnquam de Azymis, eorumque vsu in Sacrificio &c.* Hic est sensus illius vocis *Serius.* §. 3. *Serius à Latinis recepta Azyma.* Et iterum. *Vsum diu viguisse in Occidentali Ecclesia.* Tandem §. 10. *Azymorum vsum non semper extitisse in Ecclesia Occidentali.* Itaque designat tempus Schismatis à Mich. Cerulario excitati circa annũ 1054 *Leo IX.* quẽ assignat Leo IX. Epist. ad eundẽ Michaelẽ principio Schismatis. *Post Sanctos, & Orthoxos Patres per mille, & viginti à Passione Saluatoris annos.* Sententia igitur Eminentissimi Domini est. Azymum cæpisse in Occidentali Latina Ecclesia Anno post Christum millesimo: Fermentatum ab initio Ecclesiæ per eos mille annos inter Latinos viguisse. Videamus quo fundamento hanc suam, quæ Syrmundi item fuerat, opinionem

stabi-

stabiliat. Igitur § 3. *Vetus, inquit, in Ecclesia Christianorum mos fuit, vt qui ad Missas celebrandas conueniebant suum quisque Sacrificij Panem afferret.* Eum confirmat Concilio Matisconensi 2. c. 4. Nannetensi c. 9. Gregorio in lib. sacrament. & Ordine Romano; Theodoreto, Cypriano, Augustino, Eligio: & verbis Sacerdotis in Missa Populi sacrificium, & oblationes, & Hostias commemorantis.

Primùm largior, quod arripere conatur de Pane ad vsus sacros in Altari oblato à Fidelibus. Quid ex eo euincat non video. Nam ea testimonia nihil exprimunt de genere Panis oblati ad Altare, & adiaphora sunt, & analoga ad Azymum, & Fermentatum, ac de alterutro possunt intelligi; quì ergo trahuntur illa verba ad alteram tantum partem Fermentati? Solum enim ponitur *Hostia. Oblatio. Panis.* quæ in vtramque sunt partem ambigua. Quo iure igitur adstruitur Fermentatum? Ego Azymum induxerim. Haud immeritò. Legat testimonia, qui volet. Imo Concilium Matisconense indicat quiddam Azymum sapiens, dũ præcipit, *vt Sacramenta Altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur.* Appellat *Sacramenta*, cùm agit de Eucharistia: quo vocabulo vsum non fuerat, cum de oblatione illa Panis & Vini antea mentionem fecerat. Præterea non est credibile die anniuersaria Cœnæ Domini in Fermentato celebrari solere: Igitur, si ea die in Azymo conficere mos erat, consentaneum est credere etiam aliàs solitum celebrari. Nam discrimen ponitur in ieiunio celebrantium, & suscipientium Eucharistiam:

Concil. Matiscon

stiam: non in Pane consecranto; qui cùm futurus esset idem, qui in die anniuersario Iouis in Cœna Domini, Azymus erat, non fermentatus omnino futurus. Accedit quòd in eodem Concilio canone 2. iubetur coli Pascha *sedulæ obseruationis sinceritate*: quæ vox Azymum sonat, non fermentatum. Probet quæso nobis certo argumento eum Panem non esse Azymum, sed fermentatum. Verùm, quod non post elicere ex verbis textus suadet coniecturis. Ibi §. 4. post med. *Quod si*, ait, *Sacerdos oblatum à Fidelibus Panem pro sua, & illorum communione consecrabat, non alium sane, quàm communem, & vsitatum, ac de more fermentatum, qui singulis, tam diuitibus, quàm pauperibus, semper in promptu esset*. Leuis certè coniectura, quam mea grauiore, opinor, refuto. Imo (vt concedam hoc de Eucharistia, quod minus est verum) ille Panis non debuit, nec potuit esse vulgaris, sed selectus, & accuratè confectus: nam si vulgaris esset & domesticus, nulla esset in eo parando difficultas, nec reprehenderentur ij, qui negligenter se habebant in oblationibus afferendis, neque diuitibus exprobraretur, vel incuria, vel auaritia in participando Pane pauperum, vti in loco Cypriani, & Augustini ab eodem ibi producto continetur; nam fermentatus parabilis, & ad manum erat, & facilè haberi poterat; alius igitur Panis erat, studiosè, & accuratè confectus domi, & ex ante præparatus ad Sacrificium Altaris, quem diuites omittebant ex incuria, & negligentia. pauperes autem pro sua pietate, ac religione sedulò, & accuratè parabant. In hunc Panem quadrant illa verba Cypriani lib. de oper; & eleemos: *Lo-* Cypr iauil

 cu-

cuples, & diues es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit sumis. Facile erat feminæ opulentæ domesticum Panem portare, & offerre: nec opus erat an oblationem pauperis respicere, & de illa participare. Quò Augustinus spectat Sermone 215. de Temp. *Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicauerit.* Hoc significare videtur vox illa Concilij Matisconensis Can. 4. *Legitimo officio.* Queritur de nonnullis Christianis, qui à mandato Dei deuiarant nolentes admouere Altari solitam Hostiam, quæ qualis esset declarat illa voce *Legitimo officio*, id est iusto, & ex instituto scilicet Azymum offerendi, idque notat illa vox altera *Deitatis*, hoc est officio debito *Deitati*. Nam Azymus erat proprius Diuini Sacrificij; cùm fermentatus ad homines pertineret, & ad Mensas communes adhiberetur. Nihil ergo iuuat locus iste Concilij Matisconensis Fermentatum, imo illi nocet. Cur eum adduxerit Author doctissimus? ipsemet viderit. Ego retorqueo, etiam in sensu Eucharistico acceptū.

August.

Testimonium Concilij Nannetensis nihil habet, quod sit proprium Fermentati, cum quidquid ibi est, conuenire possit Azymo, etiam admisso loqui de Sacrificio Missæ, & ad illud solum eas oblationes pertinere. Ait enim: *de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt: vel de partibus quas offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyter conuenienter partes incisas habeat in Vase nitido, vt post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati Eulogias omni die Dominico, & diebus festis inde accipiant.* Nulla hic mentio Fermentati. At omnes illæ oblationes erant de Fermento: nego: qui

Conc. Nannetensis.

mihi

mihi probet Auctor? Imo ego probo hic Azymum continεri hac ratione. Idem Decretum Nannetense secundum Auctoris Doctissimi sententiam extat apud Hincmarum: sed tempore Hincmari Ecclesia conficiebat in Azymo, igitur ille Panis Decreti Nannetensis erat Azymus. Argumentum est iustum. Assumptio in qua vis est patet: cum Hincmarus fuerit suppar Rhabano, cuius ætate Gallicana Ecclesia celebrabat in Azymo, vti proximè diximus. Deinde verba textus expendo, & adstruo Azymum in Altari. Hic sunt tria genera panum, vnum de oblationibus, quæ offerebantur à populo: alterum de Panibus, quos afferebant fideles ad Ecclesiam: tertium de Panibus proprijs Presbyteri. Nunc dico: primum genus erat Azymum, reliqua duo fermentata. Probo sic: in primo inuenitur *Consecratio*, in alijs minimè. De primo enim solùm dicitur *Consecrationi supersunt*: quæ verba secernunt illam primam oblationem à secunda, de qua dicitur *Vel de Panibus quos offerunt fideles ad Ecclesiam*. Iy, *Vel*, indicat alium Panem, qui non erat consecrandus, qualis item erat tertius proprius Presbyterorum. Dico ergo. Primus Panis consecrandus erat Azymus: reliqui duo fermentati; ille ad Eucharistiam pertinebat, hi ad Eulogias spectabant. Nam si omnis Panis esset vnius generis, non fieret illa distinctio Panum, tam subtilis, & accurata, & vox *Consecrationis* ad omnes traheretur: Præterea tanta copia Panis non erat necessaria ad Consecrationem, & Communionem fidelium, quandoquidem primus satis erat, imo & abundabat, cum ex eo superessent oblationes

Hincmar.

non consecratæ, vt est in texu; Vnde deduco, & partem primi Panis superfluam, & reliquos Panes oblatos à fidelibus, & à presbyteris ad eulogias reseruari. Quod autem hoc loco eulogiæ ab Eucharistia distinguantur, contra quàm ex stimat Auctor doctissimus, suadetur, quia præter proprietatem nominis Eulogiæ, hic habetur seruari eas partes Panis in vase nitido, vt distribuerentur post Missarum solemnia peracta communione ijs, qui non erant parati ad communicandum. Quomodo ergo erat Eucharistia, si dabatur non paratis, & extra Missam dabatur? & per tot dies Dominicos, & festos populo sufficiebat? Ait quipe textus ex reliquijs illis seruandis in vase nitido accepturos esse suas partes fideles, qui non communicauerant.

At opponet: eas partes incisas, & seruatas non esse distribuendas per alias sequentes Dominicas, & dies festos, sed in eodem die Dominico, & festo post Missam esse diuidendas. Respondeo. Igitur illæ eulogiæ non erat Eucharistia, cum acciperentur ab ijs, qui non erant parati ad communionem, vnde siue fieret distributio in eodem die, siue in diuersis, numquam illæ eulogiæ erant Eucharistia, cum semper acciperentur à non paratis ad communicandum, & in supplementum Eucharistiæ acciperentur. Habeo meę

Vasquez. interpretationis grauem Auctorem Vaquez disp. 204. c. 3. n. 22. vbi sic *Loco Communionis successisse Panem benedictum constat ex Concilio Nannetensi, vbi præcipitur, vt pro ijs, qui die Dominico non communicant seruentur frusta Panis benedicti, quæ ipsis distribuantur.* Animaduerto autem

tem

tem hunc Canonem Concilij Nannetensis decretum esse Pij Papæ primi, ex quo illum deprompsit Concilium, quod me non latuit in libro meo de scholis Theologicis positiuis Schola. 12. de Sacramental. c. 8. titulo *Panis*. *Pius I.* *Macedo.*

Ex hac ratiocinatione constat hic rem Azymi potius, quàm fermentati contineri: nec enim sequitur Panem fermentatum consecrari, sed Azymum; ac proinde eum solum esse Panem Eucharisticum, quia in eo Sacerdos consecrabat. Non inficiamur tamen sequi ex hoc loco Panem Azymum, etiam ad eulogias pertinere, nam id nihil officit dignitati Azymi, qui ad vtrumque munus pertinebat, cum fermentatum solis eulogijs seruiret.

Hæc scripseram, cum incidi in alium locum Auctoris Eminentissimi, in quo manifestè docet Eulogias, de quibus hoc in loco agit, non esse Eucharistiam lib. 2. cap. 19. §. 7. *Quid sint, ait, Eulogiæ, & quæ de causa institutæ, diximus supra lib. primo c. 23. §. 12. erat enim Panis, qui supererat Consecrationi in particulas dissectus, & in fine Missæ à Sacerdotibus ijs distributus, qui ob aliquod impedimentum, aut non poterant, aut non erant parati Communicare*. Proprius sane locus, & in rem meam ad interpretationem Concilij Nannetensis. Ecce Eulogiæ Panis Azymi, non fermentati. Patet exemplo, quod ibidem capite 20. affert Monachorum Cluniacensium ex Goar: quem probat; nempe illos Eulogias in Refectorio comedisse, quia consecratæ non erant, sed ex eodem Azymo, quod consecratum fuerat, confectæ. *Card. Bona.* *Goar.*

Ita idem Auctor ibi adducto Dacherio: *priuatis, inquit diebus Hostiæ non consecratæ portantur in Refectorio, vt his, qui ea die non communicauerant per manus Sacerdotis distribuantur.* Rursus: *Portat Pyxidem cum Hostijs non consecratis in Refectorium; de quibus singuli prælibant, qui noluerunt, aut non potuerunt communicare.* Quomodo hæc cohæreant cum his, quæ hoc loco Eminentissimus Auctor scribit, viderit Lector. Ad me attinet, quo argumento ille probat Panes illos esse fermentatos, eo Azymos esse monstrare, & prolatum testimonium iu meum vsum vertere. Pergo ire ad locum Gregorij.

Gregor.

Locus hic nihil prorsus continet, quod fermentato faueat, solum enim ait. *Offeruntur à populo oblationes, & vinum, è quibus in Altari ponuntur, vt sacrentur.* Vbi est fermentatum, cur intruditur? non potuit esse Azymum? certe in eo Pane, vti supra diximus, ipse Romanus Pontifex Gregorius conficiebat; nec illud Altare Romanum patiebatur fermentatum. Afferat rationem Auctor eruditissimus, cur de fermentato intelligat?

OrdoRom.

Addit aliud momentum ex Ordine Romano. *Consonat*, inquit, *Ordo Romanus his verbis: Archidiaconus accipiens oblatas ponit tantas super Altare, quantæ possunt populo sufficere.* Hoc probandum erat Auctori illas oblatas esse fermentatas. Ego quippe inficior, & objicio Sacerdotale Romanæ Ecclesiæ librum antiquissimum editum Venetijs anno MCCCCLXVII. in cuius inscriptione sic habetur. *Ex Apostolicæ Bibliothecæ, ac Sanctorum Patrum, iurium sanctionibus, & Ecclesiasticorum Doctorum scriptis, atque Summorum Pontificum auctoritate multoties approbatum:* vbi sic tractatu 4. c. 2. fo. 60. *Ma-*

Sacerdot. Roman.

teria

teria huius Sacramenti est Panis triticeus, & debet esse Azymus: quia Christus in Azymo Sacramentum confecit, & consecrauit; & etiam vsus Romanæ Ecclesiæ, qui initium, & institutionem à Beato Petro Apostolo habuit, sic obseruat, & sic mandat obseruari. In hoc Sacerdotali explicatur Ordo Romanus, qui non potuit esse contrarius, igitur illæ oblatæ, si erant Eucharisticæ, Azymæ omnino erant, non autem, quod vult Auctor, fermentatæ. Quid? quod illa particula Ordinis Romani, Azymum apertè significat, *Ponet tantas, quantæ*, vt numerus indicet particulas, quas vulgo dicimus, siue formulas, significari.

Iam verò, quod adducit ex Cypriano, & Augustino, ijs Azymum confirmari supra ostendimus. Orationes Dominicarum rem non continent, cum tres priores ad oblationem mentalem pertineant; nimirum, vt quod Sacrificium Sacerdos re conficit, ac mente ad Deum dirigit, illud populus simul cum eo Spiritu, & affectu ad eumdem referat; quo item sensu accipit Petrus Damianus in lib. Dominus vobiscum, qui est opusculum 11. illa verba Sacerdotis in Missa *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis. In quibus verbis*, inquit, *patenter ostenditur quia quod ille Deo offerendo manibus tractat hoc multitudo fidelium intenta mentium deuotione commendat. Quod illic quoque declaratur, vbi dicitur. Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus vt placatus accipias. Quibus verbis luce clarius constat quia sacrificium quod à Sacerdote Sacris Altaribus superponitur à cuncta Dei familia generaliter offeratur.* Ita c. 8. *Pet. Dam.*

Reliquæ duæ Orationes, oblationes quidem Pa-

pis

Petrus Damian. nis significat: verum minimè fermentati, sed Azymi. Ruit itaque illa consecutio Auctoris ibi deducta: *Quod si Sacerdos oblatum à fidelibus Panem pro sua, & illorum communione consecrabat, non alium sane quàm communem, & vsitatum, ac de more fermentatum* Procedit enim à communi ad particulare, quæ non est apta deductio: ex genere quippe non sequitur species. *Est animal, ergo est equus*, cum possit esse canis. Damus Panem offerri à fidelibus. Ergo fermentatum: negamus, cum posset esse Azymus. Si nullus alius esset Panis, nisi fermentatus, valeret consecutio. Quòd si opponat coniecturas: illę confirmant Azymum; nam Panis erat sacris accomodatus, Aris addictus, Communionis: consecrandus, extra vsum domesticum, atque adeo in Corpus Christi conuertendus; his notis astruitur Azymus, fermentatus aufertur. Hunc ergo parabant, & offerebant fideles ad consecrandum, & communicandum.

Parergon de oblatis ad Altare.

QVoniam oblationes fieri solitæ à fidelibus Panes offerentibus in Sacra Synaxi ad Altaria, occasionem Auctori Eminentissimo & Syrmũdo præbuerunt adstruendi Fermentati, & Azymi auferendi, necesse erit distinguere, ac recognoscere huiusmodi oblationes, vt appareat quid spectet ad Eulogias, quæ solent turbare homines etiam doctos, & peritos antiquitatis. Refutat Auctor Eminentissimus §. 3. c. 23. Albaspinæum, quem doctissimum vocat, quòd oblationum testimonia, quę ad- *Albansp.*

duxe-

duxerat pro Eucharistia, vertat ad Eulogias; nos vero refellimus eundem, quod eas attribuat Eucharistię cum discernendũ esset, quid ad vtrumque munus pertineret; non ero tamen prolixus, sumam ea solum quæ sint satis ad tollendam confusionem.

Distinguere igitur oportet tres refectiones, & iuxta eas tria genera panum singulis refectionibus respondentium. Agapen, Eucharistiam, Eulogiam. Agape erat conuiuium Charitatis; Eucharistia Sacramentum Corporis Christi: Eulogia munus paniceum symbolum concordiæ, & pacis Christianæ. Panis primus vulgaris erat, & vescus, conuiuio cum alijs epulis destinatus ad communem refectionem fidelium in Ecclesiam ad sacram Synaxim concurrentium. Secundus Panis erat omnino sacer, & Mysticus consecrandus in Eucharistiam: omninò in Ecclesia Latina Azymus. Tertius erat Panis item vulgaris, sed minime tamen profanus, futurus signum mutuæ concordiæ, ac propterea benedicendus. Hic aliquando erat Azymus, aliquando Fermentatus etiam in Ecclesia Latina.

Hi Panes sępe inter se confunduntur. Heterodoxi Panem Agapes, & Eucharistiæ eundem putant, cum Eucharistiam tollant, & in Sacra Synaxi nihil Sacramẽti agnoscant; atque adeò in suis conuenticulis lautè epulentur. Itaque Missã nostram *Agapen* vocant, quòd Sacrificium in ea fieri negent. Ita Caluinus l. 4. Inst. c. 18. §. 18. Petrus Mart. in c. 11. primæ ad Corint. Melãct. in Apol. Conf. Aug. disp. de Missa, Casaubonus cõtra Baronium exercit. 16. De hoc Pane Agapes loquũtur Patres, cũ exponũt locũ Cœnæ Dominicę apud Paulũ

Caluin. Petr. Martyr. Melancth.

1. Corint. 11: & quia ibi duplex erat refectio: Corporalis in Agape, & Spiritualis in Eucharistia, & Conuiuium cum Mysterio concurrebat, sic interdum loquuntur, vt videantur Panes miscere, & confundere; cum præsertim eo in loco ipsimet Corinthij arguantur à Paulo, quod sacras, & profanas epulas coniungerent, & Cœnam profanam ante Eucharistiam non expectato Catholicorum omnium concursu peragerent. Quæ est Augustini sententia Epist. ad Ianuarium cap. 6. & Anselmi in commentarijs ad cap. 11. Ep. primæ ad Cor. & Lyræ ibi, & Sancti Thomæ lectione quarta in eumdem locum, & Haymonis ibidem: quam probant Sotus in quarto d. 12. q. 1. A. 8., & Vualdensis Tomo 2. c. 187. n. 2., & Baronius anno Christi 57. n. 130. quem tamen abusum correxit Paulus, ne non ieiunini ad Eucharistiam accederent; quod solemne fuit Christianis ob reuerentiam Sacramenti; quemadmodum ostendit Augustinus in eadem Epistola ad Ianuarium, & animaduertit Cardinalis Baronius ad eumdem annum, & Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Sacramentis c. 31. quæ sanè Patrum communis doctrina est. Tertul. lib. 2. ad vxorem. Cypriani lib. 2. Epistolarum Epistola tertia. Chrysostomi homilia 21. in prima Cor. & Epistola 3. ad Cyriacum. Isidori lib. 1. de diuinis officiis c. 18. Redeamus ad institutum. Hinc ortum, vt fideles iam illo errore correcto Panes deferrent in Ecclesiam: & partim offerrent ad Altare ad Hostias conficiendas, partem seruarent sibi ad conuiuium celebrandum, quod quia Charitatis erat, in pauperum fiebat subsidium;

August. *Anselm.* *Lyra.* *S.Thom.* *Haym.* *Vualdens.* *Baron.* *Bellarm.* *Tertull.* *Cyprian.* *Chrysost.* *Isidor.*

diui-

diuitibus affatim de suo cibos suppeditantibus egenis, ne esurirent; quod ex Chrysostomo probat Cardinalis Baronius eo anno Christi 57. n. 130. adductis verbis Chrysostomi. *Peracta*, inquit, *Synaxi post Sacramentorum communionem inibant conuiuium, diuitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus*. Quod item obseruauit Anselmus, & Lyra in eundem locum Pauli, & reliqui communiter interpretes. De hac oblatione ad Agapē intelligendi sunt Cyprianus l. de oper. & eleemos. & August. Serm. 215. de tempore, quorum verba superius adduximus refutando interpretationem Auctoris Eminentissimi eos exponentis de Pane Eucharistico, cum de istis oblationibus ad Agapen ordinatis intelligendi sint. Huc enim pertinent illa Cypriani. *Locuples, & Diues es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit sumis*. Et alia Augustini. *Oblationes, quæ in Altario consecrantur afferet. erubescere homo idoneus, si de aliena oblatione communicauerit*. Quę sane rem continent Agapes. Nec turbet vox illa Sacrificij. Quia illa non solius Eucharistiæ propria est, sed etiam aliarum oblationum Sacrarum, quemadmodum nos infra ostendemus. Hinc liquet, quid Chrysostomus, Anselmus, Lyra, & alij Interpretes doceant de Agape pauperum, Conuiuio charitatis, ad subsidium fidelium instituto. Vnde illæ reprehensiones, & castigationes, & querimoniæ Cypriani, & Augustini de opulentis, & diuitibus oriebantur. Audiamus Anselmum: *Paulus tangit eorum consuetudinem*

Baron.

Cypriani.

August.

nem, quia frequenter in anno, certis diebus solebant omnes ad Ecclesiam conuenire, vt Corpus, & Sanguinem Domini perciperent, & in Ecclesia Conuiuium agerent ad exemplum Cœnæ, quam Dominus cum Discipulis suis fecit. Sed hanc consuetudinem plurimi eorum peruerterant, & secundum quod alius alio prior veniebat afferens cibos suos manducabat, & inebriabatur, non expectans pauperem Fratrem, & postea Corpus Domini sumebat, vel cibis mensæ suæ miscebat, non iudicans illud ab alijs cibis differre. Nam munera sua offerentes aduenientibus Presbyteris, quia adhuc rectores Ecclesiæ non omnibus locis fuerant constituti, totum sibi, quod obtulerant vindicabant. Constat ex his offerri Panes extra Eucharistiam, qui essent communes, & laici, & fermentati, qui ad Agapen, non ad Communionem pertinebant. De quibus intelligendi sunt Patres, quos pro Eucharistia Auctor Eminentissimus allegabat. Mos autem hic offerendi Panes, & cibos ad Conuiuium Charitatis viguit, & viget in Ecclesia Catholica, habeturque benedictio solemnis eorum in Sacerdotali antiquo apud me seruato, quo supra vsus sum, estque ibi titulus de benedictione solemni panis in diebus Dominicis, & magnis festiuitatibus ante Missam, vt quadret in Agapem, & exprimatur antiqua consuetudo. Oratio autem benedictionis est duplex, vna pro sanis, altera pro ægrotis, & in rem alia ciborum, quæ huiusmodi est. *Domine Iesu Christe, qui in deserto coram Discipulis tuis quinque Panes, & Pisciculos paucos tuis Sanctissimis Manibus multiplicando benedixisti, & benedicendo multiplicasti, te humiliter deprecamur, vt hæc caritatis dona, ad vsum pau-* Sacerd. Roman.

perum

perum eroganda multiplicando multiplices, & benedicendo benedicas, vt inde famuli tui refecti laudes, & preces tuo nomini competenter persoluant. Subiungitur deinde alia oratio. De hoc genere oblationum loquitur Optatus Mileuitanus libro 6. initio reprehendens Donatistas. An vero Panes etiam Laici, & profani in Altari tempore Missæ offerrentur, & benedicerentur, maior est quæstio propter Canonem tertium Apostolorum, vbi præcipitur *Offerri tantum Panis, & vinum*: vetito ne alia super Altari offerantur. Hoc ipsum statuit Concilium Carthaginiense tempore Augustini: *Non licet in Sanctis offerri aliud, quam Panem, & vinum, aquæ mixtum*. Dicendum tamen aliud esse offerri in Altari, aliud afferri ad Altare. Vetant illi Canones offerri tanquam Sacrificium, non autem offerri tamquam oblationes ad alios sacros vsus, ita explicante Zonara illum Canonem *Fructus*, inquit, *legumina, & alia huiusmodi offeruntur Altari, non vt Sacrificium, sed tamquam primitiæ*. Et idem Concilium Carthaginiense Can. 37. hoc declarauit adijciens. *Primitiæ, seu lac, & mel quamuis in Altari offerantur suam tamen habent propriam benedictionem, vt à Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis distinguantur*. Ecce benedictio propria Eulogiarum: Omnino diuersa à Consecratione Sacramenti Eucharistiæ: quæ constat formula certa, & inuariabili, instituta, & dictata à Christo Domino, & enarrata in Sacris Euangelijs: cum tamen Benedictio Eulogiarum: sit Ecclesiastica, & variata pro deuotione, & libito Prælatorum Ecclesiæ.

Optat. Mileu.

Itaque

guantur. Itaque & solebat, & licebat offerri ad Altare omne genus rerum, quæ vsui, & emolumento Ecclesiæ, ac Ministris, & fidelebus esse poterant extra rationem Sacrificij, vti demonstrat Baronius ad annum 44. summa eruditione. Afferam locum insignem, c. *Ex literis*. de consuetudine. Vbi refertur consuetudo ponendi modicum terræ eius loci, aut fundi, qui legatur Ecclesiæ super Altare, quæ oblatio *Scotatio* dicitur. Antiquior inuenitur in Capitulari Caroli Magni lib. 6. c. 285. de charta donationis posita super Altare. Accedit alia oblatio numorum facta inter celebrandum Petro Damiano, & narrata ab eodem Epist. 13. lib. 5. Hunc morem laudat, & confirmat Synodus V. Romana Gregorio VII. Pontifice c. vltimo. Ego reperio in Sacerdoli illo veteri multa exempla vescarum rerum inter Missarum solemnia oblatarum, Panis in primis in Missa Sancti Blasij, quem Sacerdos benedicebat, intra Canonem Missæ constitutus, ad illa verba: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*, ac in eo benedictionis est formula: *Petimus hos Panes, quos plebs fidelis tibi deuotè, hodie ad sanctificandum attulit tua pietate benedicere, & sanctificare digneris, vt qui ex ijs comederint, vel gustauerint recipiant sanitatem*. Itaque corruunt cōiecturæ Auctoris Eminentissimi, quibus ducitur ad probandum panem oblatum à fidelibus ad Altare Eucharisticum esse, ac proinde ijs ruentibus labitur machina argumenti nixa iisdem, & fabricata ad persuadendum Panem oblatum à fidelibus in Altari ad conficiendam Eucharistiam esse fermentatum. Ac illud demum addiderim mirari me Vallam eruditum grammaticum in Ioannem

Baron.
Canones.
Capitul. Car. Mag.
Pet. Dam.
Syn. Rom.
Sac. Rom.
Valla.

c. 2. dicere: nescire se, an ea dictione *Agape vsi sint veteres?* Cum certè non pauci, ac in primis Tertullanus lib. aduersus gent. *Agapem dilectionem* verterit. Oppono Vallæ Erasmum in Epistolam Iudæ. Budæum, & Cælium Rhodiginum. Tertull. Erasm. Budeus. Rhodigin.

Explanato istiusmodi Panē caritatis ad Agapem pertinere, superest dicere de Pane Eulogiarum celeberrimo in historiis Ecclesiasticis. Hoc nomen græcum est, & reperitur in versione 70. Interpretum lib. primo Regum c. 25. Labe Eulogiam tautin quod vertitur Latinè *Suscipe benedictionem hanc*, idest munus cibariū ab Abigaile Dauidi oblatum propria huius loci significatione, quæ conuenit Pani benedicto in Sacris dando, & mittendo fidelibus in signum concordiæ, & charitatis. *Cuius rei*, inquit Spondanus, āno Christi 313. *multa suppetunt antiqua exempla*, quæ nos adduximus Tomo de Scholis Theologicis. Schola. 12. c. 8. quod extra controuersiam cùm sit, non duco operæ pretium hic probare; tantùm dico nomine Eulogiarum venire Panem benedictum, siue à Papa, siue ab Episcopo, quòd esset symbolum communionis catholicæ. Vtrum autem benediceretur à Presbytero, quæri solet. Constat item ab hoc benedici, & indicatur c. 9. Concilij Nannetensis vbi dicitur *De suis Presbyter quos habet*. A quo fuerint institutæ huiusmodi Eulogiæ dubium est. Mihi liquet antiquissimas esse, & à Pio Papa Primo, vel institutas, vel celebratas, idque in codice quinque librorum lib. 2. c. 117. reperitur, ex quo decreto accepit Concilium Nannetense, eoque nomine Eulogiarum à Pio appellantur. Concilium Conc. Nan. Pius I.

Lao-

Laodicenum Canone 14.32.49. illarũ meminit: vetatque Canone 22 ne *cui Cathtolico liceat hæreticorum benedictiones idest Eulogias, accipere*: quem Canonem iisdem verbis refert Martinus Bracharensis Episcopus in collectione Canonum Orientalium Canone 70. tomo secundo Conciliorum p. 2. pag. 246. in collectione Biniana. Vsus vero mittendi Eulogias in vtràque Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali solemnis fuit. Earum mentionem facit Nazianzenus in Epitaphio, siue oratione funebri Patris. Hieronymus in vita Hilarionis. Afferunt illustre testimonium Baronius, & Spondanus ex actis Sancti Albini Episcopi Andegauensis apud Surium primo Martij. Extat Canon Concilij Nannetensis nonus: in quo dicitur, vt qui communicare non fuerint parati, eulogias, idest panem benedictum, accipiant. Qui sumptus est ex illo, quod proxime laudauimus Pij Primi decreto, ac illud refert Hincmarus in suis capitulis c. 7. quę suis presbyteris dedit anno 852. Id circo autem erat vice Eucharistiæ, quia vnionem, & caritatem significabat; propterea excomunicati priuari solebant vsu eulogiarum. Patet in Gregorio Turonensi lib. 5. historiarum c. 15. & lib. 8. c. 20.

Conc. Laod. *Mart. Brac.* *Nazianz.* *Hieron.* *Baron.* *Spondan.* *Conc. Nonnet.* *Hincmar.* *Greg. Tur.*

Vtrum autem Fermentum illud celeberrimum Põtificium missum Dominicis diebus per titulos vrbis esset Eucharistia, an Eulogia? suo postea loco peculiari disputatione instituta discutiemus. Huiusmodi Eulogiæ spectabant ad significandam vnionem, & communionem Ecclesiasticam, quæ communi nomine mittebantur in tesseram, & symbolum Religio-

nis

nis; aliæ item erant priuato nomine caritatis; & amicitiæ sanctæ, causa mitti solitæ. Afferam verba idonei Scriptoris Spondani ad annum 313. Syluestri 2. Constantini 8. *Porrò fuisse alias priuatas Eulogias, quas scilicet Amici inter se vltro citroque dare, atque accipere consueuissent multa suppetunt antiqua exempla, & inter alia Paulini Episcopi ad Augustinum, Alipium, Romanianum, & Seuerum, è Campania in Africam, & Gallias, Panes pro Eulogia mittentis.* Et pariter Augustini ad eumdem Paulinum remittentis. Adducere nonnulla descripta ex Epistolis Sanctorum volo. Paulinus ad Seuerum Epistola prima *Panem,* inquit, *Campanum de cellula nostra tibi pro Eulogia misimus.* Epistola 31. inter Augustini ad eumdem Paulinis in fine: *Panem vnum, quem vnanimitatis indicio misimus caritati tuæ rogamus accipiendo benedicas.* Rursum epist. 35 *Panem vnum Sanctitati tuæ* (idest Alipio) *vnitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur. Hunc Panem Eulogiam esse, tu facies dignatione sumendi.* Augustini etiam habemus Eulogiam ad Paulinum, & Therasiam Ep. 34. in fine: *Panis quem misimus vberior benedictio fiet dilectione accipientis vestræ benignitatis.* Hoc sensu accipio Marculphum lib. 2. formula. de Eulogijs mutuò missis ab Episcopo: & Sanctum Benedictum in Regula cap. 54. prohibentem hanc missitationem Eulogiarum sine Abbatis facultàte. Ratio vero istius prohibitionis fuit, quia prætextu Eulogiarum mitti solebant alia munuscula, & xeniola, quæ redolebant superstitionem illam priscam Saturnalium mittendi *Apophoreta,* quo nomine vtitur Augustinus Epistol. ad Probam, & Iulianam 17. ac ne cupiditati, & luxui locus esset, & aliena à religiosa caritate, & pau-

Spondan. *Paulin.* *August.* *Marculph.* *S. Bened.* *August.*

Durant. Gretser. pertate mitterentur. Plura de his Durantus lib. 2. c. 58. & Gretserus lib. 2. de benedictionibus.

Vitas Pat. Terminare ista iuuat quadam narratione lepidè pia ex vita Sancti Frontonij inter *vitas Patrum*, quibus maximè delector. Habetur lib. 1. post med. ante vitam Barlaami Eremitę. Septuaginta camelos monitu Dei miserat ciuis quidã magna copia ciborum onustos Abbati Frontonio in longinqua Eremo cum Monachis habitanti, qui nullo duce, quòd ignotus erat mittenti locus, ad eum venerunt, & submissis dorsis onus cibarium exposuerunt; quos cum exonerassent Monachi dimidium acceperunt, reliquum mittenti remiserunt. Acceptum, & remissum cibatum *Eulogiæ* nomine Auctor appellat. Affero nonnulla verba, quæ rem continent. De Abbate, qui acceperat, *Omnibus medium imposuit onus, velut Eulogias reuocans Domino rerum, vt auaritiæ legem scinderet*. De diuite, qui miserat. *Amicos, & pauperes plures ad prandium nobile vocat, easdem que Eulogias indigentibus distribuit; quas acceperat*.

Decret. Glossa. Erat demum aliud genus Eulogiæ, quod habetur in Decreto prima parte dist. 18. c. 8. vbi in titulo sic. *Non cogantur Presbyteri ad Sacra Concilia Eulogias deferre*; has ita definit glossa ibi c. de Eulogijs. *Eulogiæ dicuntur munera, quæ deferunt subditi suis Prælatis*. Obseruantię potius erant signa, quàm caritatis, & speciem quandam Iustæ Religionis pręseferebant, in quo erat onus officiosum. Patet ex verbis Canonis: *De Eulogijs ad Sacra Concilia deferendis nihil inuenimus à maioribus terminatum: sed sicut vnicuique Presbytero placuerit. Nam si constitutum fuerit in illo tempore benedictiones offerri forsitan minus liberaliter ad synodos occurrent, & magis venire obtrectabunt*. Hoc item

rem genus constat communis esse, & Panis, & doni, & à re Eucharistica alienum.

Capitalis quæstio est: Vtrum Eucharistia sit numeranda inter Eulogias? & an fuerit missa pro Eulogia, & quatenus? Ac primum affirmo Eucharistiam genus quoddam Eulogię fuisse, & in eo consentio Eruditissimo Auctori, qui probat idoneis productis testimonijs hoc in c. 23. §. XI. Addit alia Bulengerus Diatriba in Casaubonum 3. scriptor antiquitatis peritissimus. Omnium celeberrimum est Irenæi in Epistola ad Victorem Papam, vbi ait Pontificem Romanum misisse Eucharistiam alijs Episcopis in signum vnionis catholicæ: cuius Epistolæ Auctor est Eusebius lib. 2. Histor. c. 24. ex quo deducit Casaubonus mitti solitam Eucharistiam pro Eulogia per paræcias ab Episcopis, quo eum nomine reprehendit Eudæmon Andreas in castigatione exercit. Casauboni lib. 2. c. 15. & Bulengerus proximè laudatus, quòd id quod solius erat Romani Pontificis ad alios Casaubonus extenderit, cum in Synodo Laodicena sit Canon expressus vetans mitti Sancta, id est Eucharistiam pro Eulogijs ad alias Parochias tēpore Paschatis: verba sunt; *Ne Sancta pro Eulogijs tempore Paschæ in alias Parochias mittantur.* Et quidem iure id vetitum; nam quanuis Eucharistia Eulogia dici, & esse possit cùm apud Paulum I. Cor. 10. Calix Eucharisticus *Calix Benedictionis* appelletur; non tamen ex eo sequitur Eucharistiam pro Eulogia communi, & ordinaria esse habendam, & mittendam: cum multò esset sacratior, & Sacramentum ad altiorem finem institutum, & ordina-

Bulenger. *Irenæ.* *Euseb.* *Casaubon.* *Eudemon.* *Andr.*

natum, & perfectionis vnionis symbolum, idest Ecclesię cum Christo, & membrorum cum Capite, non per fidem tantùm, & amorem fraternitatis, sed per gratiam sanctificantem, & consortium Beatitudinis: de quo multus est Augustinus in c. 6. Ioannis. Quare, vt concedam nomen Eulogię, non largior tamen significationem. Immo potius existimo numquam, si eam occasionem, de qua Eusebius, & Nicephorus commemorant, excipias, in historijs Ecclesiæ inueniri Eucharistiam vicem Eulogiæ subijsse, ac proinde iudico ob eam solum causam in Epistola Irenæi expressam Eucharistiam loco Eulogiæ missam fuisse. Quod si obijcias cum Auctore Eruditissimo fermentum postea mitti solitum, quod ille Eucharistiam esse contendit, constanter nego fuisse Eucharistiam, quæmadmodum infra suo loco monstrabo.

August.

Euseb.
Niceph.

Quæret autem ex me lector, & quidem iure; cur propter eam solum causam fuerit Eucharistia Missa pro Eulogia, idque ego ingenuè, ac plane fatear? Respondeo, tunc non modo conueniens, sed etiam propè necessarium fuisse mitti pro Eulogia Eucharistiam. Eius vero rei causa fuit, quia cum eo tempore Ecclesia Orientalis ab Occidentali de celebrando die Paschatis dissideret, & illa in quemcumque diem Luna quarta decima incideret, in eo Pascha celebraret, & ieunia solueret, hæc vero non nisi die Dominica Pascha perageret; idque decreto Papa Victor ex Romanæ Ecclesię instituto sanxisset, eaque controuersia tunc vigeret, nec ob id tamen vnio, & caritas

sol-

ſolueretur, & citra hęreſim, & ſchiſma quæſtio agitaretur, nondum exortis Quarta decimanis (doctis loquor) voluerunt Pontifices, immo & debuerunt Orientalibus illis Epiſcopis Romam venientibus Euchariſtiam pro Eulogia mittere: tum ad ſignificandum manere integram, & inuiolatam vnionem; & charitatem, tum ad tollendam ſuſpicionem mutationis in ritu ſacrificandi, & conficiendi Sacramentum Euchariſtiæ; poſsent quippe ſuſpicari Orientales Romanam, & Occidentalem Eccleſiam cum tempore celebrandi Paſcha, ritum quoque conficiendi Sacramentum mutaſse, ne ſapere quid Iudaicum videretur. Congruum igitur, imo & neceſsarium fuit mitti ipſammet Euchariſtiam, quæ cum in Azymis confecta eſset, demonſtraret Romanam Eccleſiam diem tantùm Paſchatis ferialem, non ritum Azymi commendabilem reliquiſse. Audiamus nunc Irenæum apud Euſebium lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 5. & Nicephorum lib. 4. c. 38. & 3. in Epiſtola ad Victorem primum Papā.

Presbyteri ante Soterem, qui Eccleſiæ, cui tu præes præficiebantur Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum licet neque ipſi hoc feſtum eo die, quo Epiſcopi Aſiæ obſeruarent, neque alijs poſt ſe ita obſeruare permitterent: nihil ominus tamen cum Epiſcopis illarum Eccleſiarum in quibus ita obſeruabatur ad ſe accedentibus (ac quid quæſo magis repugnat, quàm vt hi, hoc illi illa modo obſeruent?) pacem inter ſe, & concordiam perpetuo retinuerunt, ac numquam propter iſtum varium illius feſti obſeruandi modum fuere vlli aliquando ab Eccleſia eiecti: ſed Presbyteri illi, qui te anteiuerunt ætate, tamen illud ita obſeruarunt his tamen Epiſcopis, qui in alijs Ecclesijs, ſic obſeruabant, Euchariſtiam miſerunt. Ireneus. Euſeb.

Quem

Feuardēt. Quem locum Irenæi Feuardentius illuſtrem, ac memorabilem, pro Euchariſtia loco Eulogiæ miſſa in annotationibus ad eandem Epiſtolam appellat. Sentio itaque contra Caſaubonum cum Bulengero, & Eudæmone Andrea ſolis Romanis Pontificibus licuiſſe Euchariſtiam pro Eulogia mittere. Addo in ea tantùm occaſione miſiſſe, quòd ritus celebrandi in Azymo, ac proinde ipſiuſmet Euchariſtiæ cauſa coniuncta cum cauſa Paſchatis agebatur. Huius Epiſtolæ Irenæi meminit etiam Gregorius de Valentia in tomo controuerſiarum de Sacramento Euchariſtiæ. c. 8. Valentia.

August. Aliud ac extremũ nobis genus Panis ſuppeditauit Auguſtinus, Catechumenorum, qui cum, vt ait Auguſtinus tractatu. 12. in Ioannem, nondùm acciperent Corpus, & Sanguinem Chriſti à Sancta Matre Eccleſia, certo quodam Pane alebantur, benedicto quidem, & ſacro, ſed minime Euchariſtico. Perſpicuè Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione c. 26. *Non vnius*, inquit, *modi eſt Sanctificatio: nam & Catechumeno ſecundum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari: & quod accipiunt, quamuis non ſit Corpus Chriſti Sanctum eſt tamen, & Sanctius, quàm Cibi, quibus alimur quoniam Sacramentum eſt*. De hoc Pane ita Cardinalis Bellarminus

Bellarm. lib. 2. de Sacramentis in genere, qui inſcribitur de effectu Sacrament. c. 24. *Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſsione c. 26. vocat Sacramentum Panem, quemdam benedictum, qui dabatur catechumenis*. Confirmat Cardinalis Baronius Tom. 3. annal. anno illo Chriſti

Baron. 313. Conſtantini 8. num. 65. *Sanctus Auguſtinus*, inquit, *(vt intelligas eundem loquendi vſum in Africa quoque vigniſſe)*

nomi-

nominat Sacramentum Panem benedictum ipsis catechumenis impartiri solitum. Idem sentit Henriquez lib. 1. de Sacramentis c. 2. Suarez Tomo 3. in tertiam partem d. 46. s. 6. ad fin. Vasquez Tomo 2. in tertiam partem dist. 166. c. 4. de cæremon. Baptismi. numero 52. Bulengerus diatriba 3. contra Casaubonum ad verbum *Eulogia*. Spondanus ad annum in Baronio citatum. Ioannes Baptista Casalius de veteribus Christianorum rit. c. 1. *Henriq. Suar. Vasq. Buleng. Spond.*

Litigandum hic mihi est cum Auctore doctissimo, & Eminentissimo (habita prius illius venia) circa hunc Panem Catechumenorum, quem ponit Augustinus, & ex eorum ore eripit Auctor, vt salem eius loco intrudat. Negat Augustinum loqui de Pane, cùm de Sale omnino intelligendus sit, vbi sic placuit scribere lib. 2. c. 26. §. 7. *Errant qui de Catechumenis aliter sentiunt, decepti loco quodam Augustini, quem malè interpretati sunt*. Et producto eo: *Augustinus*, inquit, *non hic de Pane, vt illi perperam existimant, sed de Sale locutus est: quod Catechuminis dari solebat, vt eruditis notum est*. Nescio cur vehementer accipiat eos, qui de Pane interpretantur Augustinum, cum illi eruditissimi viri sint. Vellem vt mitiùs ageret, & vt aliquod suæ sententiæ fundamentum afferret: sed nullum prorsus adducit sua nixus auctoritate, quã ego eleuare nec volo, nec possum. Propterea de aliorum existimatione solicitus eos liberare à nota imperitiæ volo, nam eiusdem ego fui sententiæ in meis Scholis theologicis positiuis. Schola 12. eadem auctoritate Augustini motus, ex qua perspicuè constare puto, illum cibum catechumenorum *Bona.*

panem benedictum fuisse. Equidem, vt illud Impe-
Tit. Liu. ratoris Pœni ad Doctorem Pœnum traham, vt in alijs
auctoribus minus sim eruditus Augustinum intellige-
re, ac defendere *bonis, malisque meis didici*. Afferam
aliquid momenti ad expositionem communem loci
de Pane catechumenorum. Phrasis Augustiniana sua-
det haud secus intelligendum. Confert Augustinus
id quod accipiunt Catechumeni Eucharistiæ. Certè
verbum *accipiunt*, manducandi proprium est. Ly
S. August. *quamuis non est Corpus Christi* innuit similitudinem Panis,
ex quo fit Corpus Christi. *Sanctum, & Sanctius, quàm
cibi quibus alimur:* indicat proportionem cibi ad cibum,
Panis Benedicti ad alium simplicem Panem. Confir-
mat sequens sententia: *verùm & ipsos, quibus ad necessi-
tatem sustentandæ huius vitæ alimur sanctificari idem Apostolus
dixit*. Hæc enim verba continent Analogiam ciborum
ad cibum, qualis est Panis, quo alimur, non autem
alimur sale. Iuuat particula *nostra corpuscula*, quæ sale
minimè nutriuntur, & rursus ista ciborum *Santificatio*
ad Panem pertinet. Hæc frequens mentio *cibi, ciborum-
que* rem continet Panis, qui cibus est, non autem salis,
qui coudimentum est cibi, non tamen cibus. An tu
Lector de Sale dixeris: accipiunt salem in cibum? Non
ego, nec Augustinus, opinor, dixerit. Verum qui-
dem est Casalium vtrumque iunxisse Panem, & salē,
de quo minimè contendo, cum panem non excludat.
Cur salem admiserit statim dicam.

Corroboro hunc locum *de peccatorum meritis, & re-
missione* alio desumpto ex libro de catechizandis rudi-
bus, c. 26. in quo: *de Sacramento, inquit, quod accepit, cùm*

ei

ei bene commendatum fuerit, Signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari: nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in vsu quolibet. En descriptus Catechumenorum cibus benedictus, quem Augustinus exhibet lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione c. 26. haud dubiè Panis benedictus *Sacramentum* appellatus, eodem verbo designatus, *quod accepit*. De quo audi testimonium Duranti lib. 2. de ritibus c. 58. *De eodem Pane benedicto nonnulli interpretantur Augustinum lib. de catechizandis rud. c. 26. de Sacramento &c. Verum ego locum illum de Sacramento Eucharistiæ intelligo.* Nimium assumit Durantus, durius, quàm par est, interpretando de Eucharistia, sed ego ex illo parcius sumo: nempe Panem in eo, non salem contineri. Videamus tamen, qui sint illi eruditi, qui sale intruso explodunt Panem, eos quippe Eminentissimus Auctor non indicat. Vnum, & alterum indicabo: Albaspinam lib. 2. rituum obseruat 36. & 37. & Dominicum Magrium eruditum hominem in suo de vocabulis Ecclesiasticis Opusculo vernaculo sermone composito; quamquam Albaspina adiunxerit sali lac & mel, vt dulcius condimentum redderet. Verùm æquius esset adhibere Panem, vt Polenta existeret, quæ saperet; nam sine Pane, opinor, insipida Catechumenis ob salem videretur. Itaque Albaspina salibus caret, vbi salem adhibet. Albam in hac Albaspina rosam desidero. Magrius acutè salem solum posuit, ne si commisceret lac, & mel, pinguius aliquid contra sui nominis legem efficeret. Rectè Magrius siccum salem adhibuit;

August.

Durant.

Albasp.
Magrius.

O Macra

Macra quippe, & ſicca conueuiunt. Nemo tamen, quod mirere lector. ſuæ opinationis rationem attulit, nec vllo teſtimonio vſus fuit. Afferam ego fundamentum ſpecie non leue: dum mihi obijcio textum Canonis Concilij Carthaginenſis tertij. Hic eſt quintus, vbi ſic Patres. *Item placuit, vt etiam per ſolemniſſimos paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal, quia ſi fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenos oportet mutare*. Verto in argumentum. Dum vetat Concilium porrigi Catechumenis Sacramentum, ſupponit hoc eſſe nouum, & inſolitum, quod introducere non vult, nequid de veteri conſuetudine mutetur: proinde iubens, vt ſal ſolitum ijs porrigatur ſatis declarat, ſolum ſal fuiſſe antea eorum Sacramentum. Ac fortaſse propter huius Canonis difficultatem Caſalius ſupra poſuit panem cum ſale coniunctum. Miror latuiſse hoc argumentum Auctores aduerſarios; & noſtros cum Auguſtino ſentientes illud aut non vidiſse, aut neglexiſse, vno excepto Vaſquio, quem ſemper vigilantem, ac ſolertem inuenio, qui eo in loco diſ. 166.c.4 de cæremonijs ait *verba illius Canonis eſſe obſcura*, qualia ego experior. Nam hic textus omnino pugnare videtur cum ſententia Auguſtini, qui, vt vulgo creditur, in eo interfuit Concilio. Quomodo ergo debuit tradere oppoſitam doctrinam, & quomodo Concilium negat ſolemnem Panem, & ſal inducit? deinde nuſquam legere me in Auguſtino memini ſal pro Sacramento dari Catechumenis, imo nec in alijs Patribus. Lego quidem ſalem baptizandis porrigi, & inter ſacramentalia recenſeri: pro Sacramen-

Conc. Cart.

Caſal.

Vaſq.

to

to numquam legi. Exorcizatum ſal inuenio; Sacramentatum, vt ita dicam, non inuenio. Nec ſali Sacramenti ratio conuenit. Præterea ſequitur nihil ſimile Sacramenti habuiſſe Catechumenos, quo reficerentur inſtar Euchariſtiæ, ſi omni genere Panis priuabantur, etiam illo benedicto, & ad Eulogias pertinente. Quid ergo dicendum? Reſpondere primò poſſum cum Caſalio c. 2. de ritibus per illud *ſal* intelligi Panem benedictum, quem ſimul cum ſale ſolebant accipere Catechumeni. Cur autem ſalius ſalis, non panis mentio fiat, ea cauſa eſse potuit, quia cùm ille Panis non eſset Euchariſticus, nominari non debuit, vbi de Sacramento Euchariſtiæ agebatur: ne quis eum panem benedictum, cum Euchariſtia confunderet. Itaque ſal nominatur, quo cum panis ſumi ſolitus, & ſub ſale panis intelligitur, quo in præludium Euchariſtiæ Catechumeni vtebantur. Sed vt verum fatear non acquieſco huic reſponſioni Secunda eſto quorundam dicentium locum eſse mendoſum, nec temerè, cum contradicat Auguſtino, & doctrinæ Eccleſiaſticæ, vti monui. Potuit illud *ſal* irrepſiſſe in textum; & legendum, niſi *ſolitum* ex puncto *Sal*. Quod ſi libera videatur correctio, addunt ſcriptum eſſe niſi *ſolitum ſolum* quæ vox cum eſſet contracta ab Amanuenſi, id eſt ſol, à Typographo minus perito mutatum eſt ò in A. & pro ſol poſuit Sal. Quemadmodum in eodem textu inuenitur *mutuant*, pro *mutant*. Et quidem inueſtiganti mihi alias editiones contigit incidere in vnam antiquam Bibliothecæ Sancti Franciſci Minoris Patrum Theatinorum Patauij nobiliſſimæ, & co-

piosissimæ, in qua reperi mendum illud in textu Concilij: *Sacramentum non mutuant* pro non *mutant*, quo illa confirmatur. Vera igitur, & germana, quæ fuit à me accuratè, & exquisitè excogitata solutio, huiusmodi est. Loquitur in hoc Canone Concilium solummodò de illis Eulogijs, quæ Paschali tempore mitti solebant, & patet ex textu. Volebant igitur Catechumeni per illos dies solemnes accipere aliquas Eulogias peculiares, & diuersas ab alijs ordinarijs. Negabat Concilium ea ratione, quia fideles non mutabant Eulogias suas solitas, & ordinarias, sed easdem retinebant. Quare non esse plus aliquid Catechumenis, quàm fidelibus concedendum, ac proinde solita, & ordinaria, quæ salis erat, Eulogia contentos Catechumenos esse debere. Hæc interpretatio rem prorsus continet. Nam Panis sanctificatus Catechumenorum non poterat esse Eulogia, cùm esset vice Eucharistiæ, quæ non erat Eulogia, sed mysterium. Vnde sicuti fideles non vtebantur Eucharistia pro Eulogia, ita neque Catechumeni pane suo sanctificato; præsertim cum Eulogia esset panis benedictus, qualis erat Panis Chatechumenorum, qui cum non differret à Pane benedicto, cum eo penitus confunderetur. Vnde sequitur salem inter Catechumenos habere vicem Eulogiæ, non autem Panem illum sanctificatum loco Eucharistiæ manducandum. Cur autem sal esset Eulogia propria Catechumenorum, patet ex eo quòd erat signum baptizatorum: cum autẽ illi baptizandi essent, & per baptismum Corpori Mystico Christi, idest Ecclesię associandi, aptum erat

sym-

symbolũ sal concordiæ, & vnionis nostræ Christianæ. Hic apparet salẽ accipi pro Eulogia: Panẽ Catechumenorum esse vice Eucharistiæ, & propterea ab Eulogia alienum, salem autem esse Eulogiam propriam Catechumenorum toto anni tẽpore, & Paschalibus itẽ diebus. Sic omnis obscuritas tollitur, & doctrina hactenus tradita stabilitur, & Eulogiarum ab Eucharistia diuersitas constat, quod principale fuerat institutum.

Caput VII.

Applicatur doctrina proximè tradita quæstioni, & secundum eam coniecturæ Auctoris doctissimi refutantur.

PRimùm constat Panem Agapes non esse Eucharistiam, cum Epulis in eo conuiuio inseruiret, eaque refectio à communione Eucharistica longe differret. Cõmunis itaque erat panis, tametsi aliquando benedictus esset. De quo Paulus 1. Corint. 11. adductus: *numquid*, ait, *domos non habetis ad manducandum, & bibendum?* Laicus igitur, & vulgo vescus erat, qui in domibus extra Ecclesiam manducari poterat, ex cuius vsu, & esu sequi poterat contemptus Ecclesiæ. *Aut Ecclesiam*, inquit, *Dei contemnitis?* de quo audiendus Seuerinus Binius in notis ad Concilium Laodicenum: *Agape est conuiuium publicum, quod olim in Ecclesia in Sanctorum Martyrum natalitijs celebrari cõsueuit, sicut & alia duo funebre, & connubiale conuiuium.*; citatque Nazianzenum. *Solitas esse exhiberi Agapes in Ecclesiarũ dedicatione satis demonstrant, quæ Gregorius Papa l. 1. Ep. Epist. 14. dedicaturus oratorium Beatæ Mariæ pro Agape parare mandat*. Paulo post; *Quæ igitur conuiuia publica optima ratione in Ecclesiam introducta, & hactenus frequentata reperiuntur à Patribus Orientalis Ecclesiæ in hoc Concilio præsentibus temperata sunt, vt deinceps in Ecclesia non celebrentur. Hæc enim Agapes circumstantia Ambrosio, Augustino, & Sancto Paulino displicuit, de qua ipse scripsit.* Ve

Binius.

Verùm vtinam Sacris agerent hæc gaudia votis,
Nec sua liminibus miscerent gaudia sanctis.

Vbi sentit cum Augustino, & alijs, quos proxime adduximus Patribus, qui existimarunt Paulum ea de causa reprehendisse fideles, quòd sacram Eucharistiæ refectionem cum his comessationibus, & compotationibus miscebant, ac insuper fraudabant pauperes, eo solatio, & subsidio caritatis. De quo queruntur Cyprianus, & Augustinus, quemadmodum superiùs admonuimus. Ex quo ruit coniectura doctissimi Auctoris §. 3. hunc panem Agapes ab Eucharistico minimè distinguentis, & Albaspineum ibidem refutantis, quòd ad Eulogias illud, & simile genus panis retulerit.

Secundum: panes in Altari oblatos cùm diuersi essent generis confundi non debere. Erant partim Eucharistiæ destinati, partim Eulogijs: illi Azymi, & Sacri: Hi fermentati, & vulgares: imo nec omne illud panis genus erat factum, sed etiam aliquando infectum, vt animaduertit Iosephus Vicecomes in suo docto de Ritibus opere c. 8. qui existimat sæpe farinam offerri solitam. Et quidem recte; nam & hodie videmus à pijs, & religiosis fidelibus mitti pollinem ad hostias conficiendas, & in eo flore farinę virginem Panem Azymum significari; quin etiam hostiæ candidissimæ offeruntur Æditimis, vulgò Sacristis, ad Eucharistiam conficiendam, & in hunc sensum accipit locum Cypriani adductum ab Eminentissimo Auctore illo suo §. 3. *Locuples, & diues es, & Dominicum celebrare te credis* Et hunc Scriptorem Mediolanensem

Iosephus Vicecomes

Cyprian.

op-

oppono Scriptori Doctissimo Allobrogi.

Tertium; Eulogijs conuenire nomen Sacramenti, & sacrificij, propterea quòd essent Panes benedicti, atque adeo sacri redditi, & inter sacrificia, & Sacramenta numerandi. Quibus vocabulis, quia Auctor Eminentissimus putauit solam Eucharistiam significari, ad sententiam minus probabilem deflexit, & testimonium illud Augustini lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione de Pane sanctificato porrecto Catechumenis aliter intellexit. Hinc illa verba § 8. *De Pane consecrato loquuntur* (Melchiades, &cet) *non de Eulogijs, quibus nomen consecrationis aptari non potest.* Pergit. *Et Innocentius rationem reddens propter quam fermentum non mittebatur extra vrbem, quia, inquit, non longe portanda sunt Sacramenta. De Sacramento igitur hic Sermo est, non de Eulogijs, quę non sunt Sacramenta.* Persuadendum igitur est ei optimis rationibus, & testimonijs, nomen sacrificij, Consecrationis, & Sacramenti Eulogijs conuenire. Ac primum res, quæ de profana fit sacra, fit Sacrificium, & ita docet Cardinalis Bellarminus ex Diuo Toma in 2. 2. q. 85. art. 3. cui credit Bellarminus, magis, quàm credit Eminentissimus Bona: sequitur enim Diuum Thomam Bellarminus lib. primo de Missa c. 2. ad finem, igitur Eulogia, quæ fit de Pane profano, siue laico fit sacra per benedictionem atque adeo fit Sacrificium. Accedit auctoritas Augustini, cui omnino fidem Auctor habebit. Hic lib. 12. de Ciuitate c. 6. Sacrificium sic definit, *Sacrificium est omne opus, quod agitur, vt Sancta Societate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem, quo Beati esse possumus.* Qua definitione Eulogia comprehenditur. Quod si minus placeat hæc definitio Car-

Bona.

Bellarm.

August.

dinali Eminentissimo, vti etiam minus probatur Cardinali Bellarmino c. 2. illius libri, quod nimis se fundat, recurremus ad eiusdem Bellarmini definitionem, quam ipse concinnat ibi c. 3. quæ requirit *oblationem externam rei sensibilis consecratæ*. Talis est panis Eulogię: qui dum benedicitur certa formula ab Ecclesia concepta consecratur, & panis benedictus est, & dicitur, ac proinde Sacrificium; quo nomine Augustinus *cordis contriti Sacrificium* dicit lib. 10. de Ciuitate c. 5. Imo & misericordiæ opus sacrificium vocat. Deinde *offerre* in sacris litteris sæpe ponitur pro sacrificare. Vnde fit vt oblatio perinde sit, ac Sacrificium; quod obseruare solent Sacri Interpretes in Caput. 4. Genes, vbi dicitur *Cain obtulit de fructibus terræ: Abel de primogenitis gregis sui*, idque notat (nequid sine Authore dicam) Bellarminus lib. 5. de Eucharistia, & l. primo de Missa c. 2. Præterea Sanctus Thomas in 1. 2. q. 102. articulo 3. agnoscit ex Sacra Scriptura Sacrificia Panis, Vini, Olei, Salis. Omnia insuper libamenta dicuntur Sacrificia rerum liquidarum, eodem Bellarmino Auctore c. 3. Quid? quòd Panis, quando benedicitur, & comeditur sacrificari dicitur, sicut notat Vasquez ex Diuo Thoma 2. 2. quest. 85. articulo 3. ad 3. exponens rationem Sacrificij, dum agit de Sacrificio Missæ d. 220. c. 3. n. 22. Facit testimonium Turriani, cui facilius credet Auctor, quod non est scholasticus. Is lib. 5. c. 4. contra Magdeburgenses iuxta doctrinam Alexandri primi Papæ conspersionem salis, & aquæ benedictę *Oblationem Spiritualem*, & rursum *genus oblationis, & spiritualis Hostiæ* appellat. De

Bellarm. *August.* *S. Thoma.* *Bellarm.* *Vasq.* *Turrian.*

quo

quo nos, si alicuius numeri apud Auctorem essemus, multa hùc facientia possemus afferre, ex lib. nostro de Clauibus Petri lib. 4. in Appendice de Sacrificio Missæ. Vbi item demonstrauimus illum panem Eulogiarum oblatum, & benedictum consecrari, & mutari sufficienter ad institutum Sacrificij. Eumdem verò Panem, ita benedictum, *Consecratum* dicunt Scriptores Ecclesiastici, quo refellimus ea verba Doctoris eruditissimi dicentis §. illo suo. 8. *Eulogijs nomen Consecrationis aptari non potest*. Contra quem sentit Seuerinus Binius in notis ad vitam Melchiadis ad illa verba: *fecit, vt oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur*: vbi sic: *Melchiades*, inquit, *Pontifex instituit, vt Panem fermentatum à populo, aut Presbiteris oblatum ab Episcopis consecratum, &c.* Ecce quod negauerat Auctor Doctissimus affirmat scriptor Seuerus, Eruditus Seuerinus. Nec vno id tantum loco scribit, sed, & in altero, vt in locis binis sit Binius, nam *Consecrationes* illas oblatioues vocat. Imo, & tertio id vsurpat, vt euadat Trinius. Infra enim prolato loco Innocentij ad Decentium ait: *frumentum benedictum alibi, oblationem, alibi Eulogias, seu benedictiones, aut consecrationes*. Audis toties *consecrationes frumenti* intra Eulogias, extra Eucharistiam.

Macedo.

Bona.

Binius.

Innocent. I.

Quòd attinet ad nomen Sacramenti, quod Auctor Eminentissimus negat conuenire Pani benedicto Eulogiarum, latere id non debuit virum in rebus Ecclesiasticis versatissimum, cùm sæpe res sacræ extra Sacramenta propria Ecclesię, quæ septem sunt, hoc nomine Sacramenti appellentur; quod non latuit

Baronium, & Spondanum ad annum Christi 313. nec Binium in notis ad Concilium Laodicenum, & Concilium Carthaginense 3. & ad vitam Melchiadis: & ego obseruaram in meis Scholis Theologicis Schola 13. de Sacramentalibus. c. 8. verbo *Panis*. Imo Baronius animaduertit Eucharistiam olim rarius vocari solitam *Sacramentum*; frequentius: *Sacra Mysteria*: & *Sancta*, quod à me animaduersum non semel fuit, cum legerem vitas Sanctorum Patrum, ex quo libro multum, & ad eruditionem, & pietatem proficio. Legat qui volet minimè dubitabit. Sed hac de re latiùs, cũ de Fermento Pontificio egerimus, & opportuniùs discernemus.

Baron.

Caput VIII.

Coniecturæ pro fermentato duæ ex vno Gregorij Magni, ac ex altero Ambrosij loco ductæ refelluntur, retorquentur.

Ad § 6.

Petrus Diacon.

PRima est narratio Petri Diaconi in vita Gregorij lib. 2. c. 4. de muliere incredula: quæ cum solitam Panis oblationem à se domi suæ confecti ad Altare attulisset consecrandam, & consecratam à Gregorio pro communione sumendam venisset, fertur ex contemptu risisse, & Eucharistiam irrisisse, propterea quòd quem ipsa Panem proprijs manibus fecerat, & nouerat à se factum, illum Corpus Christi esse fideles affirmarent: ac sui risus causam postea

Gre-

Gregorio palam quærenti eam fuisse, audacter confirmasse. Quare commotum Gregorium à Deo præcibus obtinuisse, vt ille Panis in carnem subito conuersus spectante populo appareret. Cui narrationi subiicit auctor Eminentissimus: *Porrò hęc mulier Panem communem, & vsitatum obtulit, quem ipsa fecerat pro Domo sua. Si enim Azymum fecisset, & obtulisset, quo vti tunc in Sacrificio mos foret, non potuisset ignorare, cui fini Panis ille destinatus esset, nec indicia suæ incredulitatis, siue ignorantiæ ridendo præbuisset.* Hæc est Auctoris Doctissimi subtilis coniectura. Rem commemoratam probo: Coniecturam improbo. Imo illum Panem oblatum à muliere non fuisse fermentatum alijs coniecturis persuadeo. *Bona.*

Prima esto. Illa femina consultò eum Panem, & dedita opera fecit, vt illum ex certa nota agnosceret, ac discerneret; itaque ille communis, & vulgaris esse non debuit, sed selectus, & specialis, aliquo signo impresso notatus, quali hodie afficiuntur Hostiæ, & Particulæ Altaris. Hęc autem nota minimè in Panem communem fermentatum quadrabat, qui cum ceteris oblatis, si eiusdem modi essent, prorsus confunderetur, nec facile discerni posset. Igitur Azymus non fermentatus esse debuit: cùm præsertim dicat Auctor eum Panem esse ex ijs, quos illa *fecerat pro Domo sua*: malè igitur distingueret, cum Panis domesticus eiusdem sit cum alijs domesticis rationis. Secunda non decuit illam feminam, quam dicit Matronam, id quod ei attribuit, nimirum facere Panem pro domo sua. Quota enim, quęso, Matrona Romana pro-

prijs manibus pro domo sua Panem subigit, & conficit? Alienum opus hoc est à Matrona, quæ Domina suæ Domus, & *Oicodespina* Græce dicitur; cùm præsertim Romæ, ne vulgares quidem mulierculæ id munus præstent. Quid si Romæ eadem, quæ hodie, consuetudo erat: panes à pistoribus iam factos, & coctos emendi, non domi conficiendi, & parandi? Equidem illum morem fuisse confirmo. Verùm largior Auctori doctissimo eam consuetudinem non fuisse, certè muliercularum illud officium erat, non matronarum. Et verò hanc feminam Romanam, & nobilem esse ex audacia, & fidentia, qua se gessit, tum in illudendo Gregorio, tum in irridendo Sacramento, tum in proferendo risus sui intempestiui causam deducitur; vnde euanescit coniectura pro fermentato, & vulgari pane, & roboratur pro pane Azymo argumentum. Nam qui panis, tam studiosè, & accuratè confectus fuit, & à Matrona Romana Domina familiæ suæ, is communis, & operæ ancillaris esse non debuit; sed peculiaris, & Officij Matronalis, ac proinde Azymum enim esse oportuit. Iam verò, quod ait Auctor doctissimus: *Si Azymum fecisset, & obtulisset, non potuisset ignorare, cui fini panis ille inusitatus destinatus esset*; rem non continet: nec enim illa ignorabat finem, cùm sciret Ecclesiam ad conficiendam Eucharistiam panē adhibere, quicunque ille demum esset, dummodò verus, & triticeus esset: sed dubitabat, quomodo panis in Corpus Christi conuerteretur? quæ dubitatio, veriùs incredulitas, qualis cunque esset panis, semper in se-

mi-

mina remanebat. Non ergo attingit scopum illa ratio. Quod addit de S. Thomæ sententia emolliendũ est. Sanctus Thomas rectè credidit tempore Gregorij Magni Ecclesiam in Azymo consecrare solitam, idque nos ante probauimus; quod autem ad id probandum in 3. p. q. 74. Articulo 4 eo Gregorij testimonio vtatur, quod hodie non reperitur in eiusdem, quæ extant operibus, non idcirco vitio vertendum est Sancto Thomæ, quasi testimonium inane attulerit. cum etiam Græci illud Gregorio Magno; quem Dialogum vocare solent, fidenter attribuant. Et quamuis hodie non extet, extare tamen potuit tempore Sancti Thomæ, cui omnino credendum propter summam, quæ in eo viro est, auctoritatem: cùm præsertim tam multa videamus in libris afferri testimonia Patrum, quæ hodie non inueniuntur, qualia sunt pleraque Augustini, quæ pro veritate Corporis Christi in Eucharistia à, Guitmundo, & alijs, qui contra Berengarium scripserunt, auctoribus producuntur. Nec mirum id Auctori, qui doctissimus est, videri debet, cum quotidie noui libri integri appareant, qui latebant. Si ergo libri latere potuerunt, cum tamen essent, cur sententiæ in ijs scriptæ latere non possunt? certè multa annorum decursu iniuria temporis consenescunt, & pereunt. Malo Diuo Thomæ fidem affirmanti habere, quàm alijs negantibus assentiri. Hæc scripseram, cùm incidi in notas ad opus controuersiarum doctissimi, & solidissimi scriptoris Fratris Raymundi Capizuchi Magistri Sacri Palatij, vbi diligenter, & accuratè ostendit hanc auctoritatem Gregorij

Ma-

Magni à Sancto Thoma allegatam germanam eiusdem esse Gregorij, & mihi sum gratulatus, quod idem ego ante iudicassem. Doleo, quod hoc in loco Eminentissimus Cardinalis Bona hallucinationem Angelico Doctori attribuat, quæ non quadrat in eum qui Theologiæ Sol est, & qui in Sole tamquam Angelus stat, & in cuius pectore Solem micare videmus. Qui luce abundat hallucinari non potest In eo ali hallucinari possunt, quorum oculi infirmi, ac debiles tanti splendoris radijs præstringuuntur. Nemini iniuriam facio: vindico D. Thomam: illius causam ago dum hallucinationem à Sole doctrinæ Theologicæ remoueo. Quanta sit auctoritas Sancti Thomæ in rebus, & ritibus Ecclesiasticis perspicue nos docet Sacerdotale Romanum quo in Thomas sæpissimè, cum Scoto interdum, & alijs scholasticis laudatur. Illud apud me habeo; liber est grauissimus, totus testimonijs, & sententiis sacrorum Canonum, & Doctorum Scholasticorum refertus.

Sac. Rom.

Venio ad Ambrosium. *De eodem*, inquit Eminentissimus Cardinalis, *Pane communi Ambrosius loquitur lib. 4. de Sacrament. c. 4 Tu fortè dicis meus Panis est vsitatus: sed Panis iste ante verba Sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de Pane fit Corpus Christi. Dum autem nominat Panem vsitatum, & in Mensa communiter vsurpatum, certe de Azymo explicari non potest*. Redit Eminentissimus ad ingenium, adiiciendo de suo quod non est in textu. Vbi, vbi est illud *in mensa communiter vsurpatum*? In textu est *vsitatum*, solùm Quomodo ergo addit aliam particulam in mensa communiter vsurpatum? At perinde

Cardinal. Bona.

Ambros.

est

est. Nego; nam mensa aliud, & Laicum, & profanum sonat. Nollem, vt Heterodoxi occasionem arriperent impugnandi Azymum Panem, quem negant verum esse Panem, vtentes argumento Græcorum, quod nomen panis Græcè *arton* non conuenit Azymo, sed soli fermentato. Qua ratione argumentantur aduersus Azymum Græci à Cerulario, & Pectorato, quos heterodoxi superiori seculo sunt secuti, quibus satisfecerunt Humbertus, Anselmus, Algerus, Rubertus, Hugo Eterianus, Guido Carmelita, Tostatus, Castrius, & alii, quorum & supra meminimus, & de quibus postea commemorabimus.

Ad rem propiùs. Accipio coniecturam, & roboro. Vide, Lector, quàm parum formidem hostem, quem armo. Ait ille Ambrosij Aduersarius negans veritatem Eucharistiæ. *Meus Panis, quem manibus præfero est vsitatus, est fermentatus, & verus panis, non mutatus, nec à Pane in rem aliam conuersus, nego enim istum Panem in aliam substantiam posse transire.* Cui Ambrosius sic respondet. *Iste Panis de quo tu loqueris, iste quem præfers vsitatus, & fermentatus fiet omnino, si ritè consecretur, Corpus Christi.* Ex qua responsione rectè videtur inferri Ambrosium de fermentato Pane, non de Azymo, quem Aduersarius non proferebat, prorsus loqui, ac proinde fateri in fermentato confici Eucharistiam. Nam latinè ly *iste*, significat, qui apud te est; cum autem tu habeas fermentatum, de eodem loquor, cum dico istum Panem consecrari, & in Corpus Christi conuerti. Fatetur igitur Ambrosius suo tempore in Pane fermentato consecrari. Videtur coniectura, sic exposi-

posita vim habere. Respondeo eam esse inanem, & probo. Ambrosius hic intendit monstrare veritatem Mysterij Eucharistiæ, & docere non esse impossibilem illam conuersionem per virtutem diuinam verbis Consecrationis communicatam, abstrahendo ab hoc, vel illo Pane, de quo non agebatur. Dicebat Aduersarius, qui fermentatum Panem nouerat: Quomodo hic meus Panis, quo vtor, & vescor potest conuerti in Corpus Christi? Respondebat Ambrosius: Hic ipse Panis, quem tu monstras, quo vteris, quo vesceris, si super eum cadat Consecratio, conuertetur omnino in Corpus Christi, quia Panis est verus, & legitimus, & materia idonea ad Sacramentum; quod sanè verissimum erat. Hinc tamen, solùm deducitur omnem Panem, qui sit idoneus ad consecrandum, si consecratur, conuerti in Christum, : quo nihil detrahitur Azymo. Nam si Aduersarius Azymum ostenderet, idem diceret Ambrosius. Non erat quæstio: vter Panis esset materia Eucharistiæ, Azymus ne, an fermentatus? ac proinde neuter excluditur ab Ambrosio, sed sola veritas Sacramenti stabilitur in quocunque Pane. Finge tibi, Lector, rem hanc: Accedat ad te Caluinista cum suo Pane fermentato, ac dicat, *Quomodo tu dicis istum Panem, quo vesci soleo conuerti in Corpus Christi?* Cum tu ei responderis, cogitabis ne de Azymo? & negabis de fermentato confici Corpus Christi? minimè quidem. Respondebis affirmando in eo Pane, si consecretur, fieri Eucharistiam. An idcirco affirmes fermentatum esse materiam, in qua in Ecclesia tua Latina consecretur?

cretur

cretur? Nequaquam. Sic accidit Ambrosio. Offerebatur ei ab Aduersario panis fermentatus, negabat ille couerti in Corpus Christi. Ambrosius affirmabat eum panem accedente consecratione in Corpus Christi esse conuertendum; & rectè respondebat, imo nec poterat aliter respondere, nec idcirco Azymo derogabat. Haberet vim coniectura, si Ambrosij illa verba essent: *Meus Panis est vsitatus*. Ex eo enim rectè concluderetur Ambrosium in fermentato confecisse. At cùm illa verba sint Aduersarij nulla prorsus est coniectura.

Caput IX.

Canonibus Concilij XVI. Toletani, Calchutensis Anglicari, Nannetensis Britanni §. 6. positis respondetur.

CONstat Auctor Eminentissimus rerum Liturgicarum ex his tribus Concilijs argumentum, quod inuictum putat. Primum testimonium appellat *Illustre*, quod sumit ex Concilio XVI. Toletano, habito æra Hispanica 731. anno scilicet 693. in quo sic Patres c. 6. *Ad Conuentus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotes partim negligentia impliciti, partim temerario ausu prouocati non Panes mundos, & studio præparatos supra mensam Domini in Sacrificio offerant, sed passim quomodo vnumquemque, aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit de panibus suis vsibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare, cum vino, & aqua pro libamine offerant, quod factum nequaquam in sacræ auctori*

Conc. Tol.

tatis historia vspiam gestum perpenditur. Tunc interponit Auctor Eminentissimus. *Et paucis interiectis, quibus ex Euangelio ostendunt Christum non particulam Panis, sed integrum Panem accepisse, & consecrasse, atque ex eo particulas confregisse, quas particulatim Discipulis tribuit, subdunt. Vnde temeritatis eius, atque nescientiæ cupientes terminum ponere, id vnanimitatis nostræ delegit Conuentus, vt non aliter Panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat; cuius reliquiæ, aut ad conseruandum modico loculo, absque iniuria conseruentur, aut si ad consumendum fuerit necessarium, non ventrem illius, qui sumpserit graui farciminis onere premat, sed Animam alimonia spirituali reficiat*. Vbi Auctor, *quid clarius*, inquit, *hoc Canone, ad id, quod intendimus astruendum? Si enim debuissent illi Sacerdotes Azymum Panem consecrare, de hoc ante omnia redarguti fuissent, quod non Azymum, prout mos ferebat, sed Panem vsualem, & communem, & consequenter fermentatum consecrarent. Atqui de hoc Synodus tacet, & hoc nomine illos castigat, quòd Panes non erant mundi ad illud Ministerium, sicuti par erat, peculiari studio præparati, sed fortuitò, & indecenter de communi mensa decerpti*.

Addit Concilium Calchutense in Anglia anno 787. dum c. 10. præcipit oblationes fidelium tales fieri, *vt panis sit, non crusta*. Tandem adnectit Canonem Concilij Nannetensis, quem quia superius exposuimus, modo præterimus. Totum pondus est in Canone Toletano.

Supponit sua opinione imbutus Auctor, quod probãdum fuit; videlicet illum Panem esse fermentatum. Hoc ego constanter nego, & repono ideo à Patribus

fuisse

fuisse redargutos (ut eius utar uerbo) illos Sacerdotes de eo tantum, quòd Panes non mundos, nec nitidos afferrent, quia de cætero Azymos offerebant, & retorquetur coniectura. In eo tantùm peccabant, quòd Azymos negligenter, & sine delectu, uti in eos incurrerent, arripiebant, & consecrabant, & illa negligentia taxatur, quæ in Azymis locum habebat. Obijciet tamen tres esse particulas in eo Canone genuinas, & proprias fermentati, ab Azymo prorsus alienas. Prima est: *Passim*; *Quomodo vnumquemque, aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit*. Secunda de *panibus suis vsibus preparatis*. Tertia *crustulam auferant*. Singule obijci possunt, quamuis ille non obijciat: *Passim*, & fortuitò offerri, non quadrat in Azymum, nec illa necessitas, aut libertas eligendi. Panes *suis vsibus præparati* sunt usuâles, & communes, atque adeo fermentati. *Crusta* in hostijs Azymis nulla est, cumsit in fermentatis. Respondeo: nullam particulam non conuenire Azymis, & omnes in eum quadrare posse. Primùm: prima Azymo congruit, quia in domo Sacerdotum, vbi panes consecrandi parabantur (non enim loquitur Concilium de oblationibus Fidelium) necesse erat id genus panis Azymi passim occurrere, & ad manus venire, quoties, vel opus esset, vel liberet sacrificare. Quæ coniectura roboratur eo, quod illi panes vetusti aliquando, & immundi erant, cum ad manducandum in mensa parati non essent: si enim essent comedendi in mensa laica, & domestica quotidiana, non sinerentur veterascere, nec sordescere: qua ratione illa

particula non conuenit fermentato, qui non finitur veterascere, nec sordescere. Nec ille Panis tam facile turpatur, vti Azymus natura sua, nitidior, & candidior. Secundùm: Secunda debilis est, & fluxa: Nam *suis vsibus* idest Sacerdotalibus, non laicis, qualis est esus, & comestio. Cur enim non dixit Concilium, esui, vel manducationi præparatis? facilius hoc erat, & explanatiùs. Dum ergo dicit *suis vsibus*, aliud munus voluit intelligere, & significare. Sed qui erant vsus propriè Sacerdotales? videlicet ad Eulogias, & Panes benedictos, ad amuleta, & remedia sacra, abigendis Dæmonibus accommodata: qualia fieri uidemus in Festo Sancti Nicolai Tolentini, & aliorum Sanctorum. Verum esto ly *suis vsibus*, pro esu, & manducatione sumatur. An non poterant ij Panes Azymi confecti à Sacerdotibus, cùm iam essent superflui, ac uetusti seruari ad manducandum, & ita dici, ad id *præparati*, quia iam desierant apti esse ad usum Altaris? Non uideo cur hæc sit improbanda responsio. Addo eos Panes Azymos solere manducari à Sacerdotibus, & familia in domibus suis, cum abundabant, queamadmodum videmus æditimos, & pueros, quos Clericos appellamus, manducare reliquias hostiarum, & fortasse ex quadam Religione Ministri Ecclesiasticos illos Panes Azymos superfluos manducabant; sicuti mos erat apud Sacerdotes, & Leuitas veteris legis, qui Panibus interdum Azymis vtebantur, & alios fermentatos laicis reliquebant. Non igitur mirandum est, si Sacerdotes eius temporis in Hispania homines Religio-

si, ac pij Azymis etiam vterentur, qui Sacrum aliquid sapiebant.

Tertium tertio respondeo: vocem crustulam potius designare Azymum, quàm fermentatum: quoniam Azymus rotundiorē exhibet crustulam, cùm in modum Panis integri conficitur; euadit enim in Orbem quemdam rotundum, & perfectum circinatus, & multò quam fermentatus rotundior, quia hic augetur, intumescit, & turget, & in globum male tornatum formatur: cum Azymus, disci more, in circulum paniceum reducatur. Hoc ego sum ipse expertus. Iussi enim coram me Panem Azymum integrum fieri, & factum contuli cum altero fermentato, & comperi fermentatum non euasisse orbicularem, qualis euasit Azymus, qui circulum, instar disci, paniceum exhibebat. Nunc ad crustam. Adesdū Lector. Propterea iussi Panem illum Azymum parari, vt experirer an formaret crustam, quæ extaret; comperi ergo induruisse eum, & obduxisse crustulam iustam; & perfectam non minus, quàm fermentati duram, & solidam, quæ posset à medulla eiusdem Panis separari, & separata consistere, ac diu conseruari; & deprehendi multò alia fermentati læuiorem, & nitidorem esse, aptamque vsui Altaris, si à reliquo Pane auulsa poneretur. Ac eo mihi persuasi, quicquid de crustula, crustaque dicitur, tum in Toletano, tum in Calchutensi Concilio Pani Azymo conuenire. Medulla vero Panis, vt omnia commemorem, tanta erat, vt vni homini ad prandium, vel cænam abunde sufficeret. Itaque non-

nulli,

nulli, qui aderant Fratres, & huius desceptationis cõscij erant, iudicarunt omnes illas conditiones obiectas tamquam alienas ab Azymo, in eumdem ita quadrare, vt propriæ viderentur, meque ad soluendum hac ratione argumentum, ex iis compositum, hortarentur. Confirmauit meam sententiam idem Concilium, qui in eodem Canone meminit Azymorum, quasi suggerens institutionem Christi in Azymo, & de buccellis mentionem facit, quæ haud dubie indicant Eucharistiam in Azymo consecratam. Animaduerti denique ex illo Azymo Pane præcidi huiusmodi buccellas, quas formulas, siue particulas appellamus, idoneas, aptasque ad buccam, vnde buccellæ nominantur, tales autem non posse ex fermentato pane decidi, nec formari. Maneat igitur coniecturas illas sumptas ex tribus ijs Concilijs rem Azymi non euertere, sed conseruare.

Non omittam hic attexere, quod in sequenti §. subiungit de Augustino: cuius verba producit ad probandum panem suum fermentatum, quasi ea non possint Azymum significare. *Augustinus*, inquit, *Epist. 59.* [ea est ad Paulinum de nouem quæstionibus,] *loquendo de Pane Eucharistico; Benedicitur, inquit, Sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur*. Negat eruditissimus Auctor hæc verba conuenire Azymo pani, cũ nequeat is distribui, & comminui dentibus, quòd solius hoc proprium fermentati putat. Palàm igitur fecimus eo exemplo panis integri Azymi à nobis confici iussi, illum aptissimum esse ad distributionem, & comminutionem accipiendam non minus, quàm fermentatũ.

Ex-

Experiatur qui volet. Id tantum animaduerto; videri morem esse illius tẽporis Panes integros Azymos in Altari consecrari, ibique diuidi in partes, & postea distribui in communione fidelium: & nostrarum hostiarum, & particularum vsum recentiorem esse; vt nulla esset in forma panum diefferentia inter Azymum, & fermentatum, nisiquæ ex mixstione fermenti proueniret: quo etiam coniectura nixa narratione Turonensis Gregorij refutatur.

Caput X.

Coniectura ducta ex Fractione Panis ab Apostolis facta Actorum c. 2. & 22. refellitur, retorquetur. Dictum Auctoris de Humberto refutatur. Locus Rhabani Mauri pro veritate Azymi asseritur, confirmatur.

§. 7.

SIc Auctor Eminentissimus: *De Apostolis legimus in eorum Actis c. 2, & 20. quod ibant per domos frangentes Panem, & Fideles erant perseuerantes in communicatione fractionis Panis, & vna Sabbati, idest die Dominica conuenidbant ad frangendum Panem, qualem scilicet in Domibus Fidelium reperiebant. Ibi autem agi de perceptione Eucharistiæ omnium interpretum concors sententia est.* Card. Bon.

Tria hic sunt animaduertendæ. Duo leuiora. Tertium grauius. Alterum è leuioribus (quamquam nihil sit in Scriptura tam leue, quod pondere careat) est, quòd præposterè citat locos ordine mutato: ponit

nit enī prius, quod in Actis ponitur posterius, & verba subtrahit; nam Actorum secundo prius dicitur: *erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*, & orationibus: nimirum n. 42. deinde, n. 46. habetur *Frangentes circa domos panem*, quem ille ordinem inuertit, præponens hoc vltimum illi primo. Alterum c. 20. n. 7. ibi quippe tantùm ponitur. *Vna Sabbati, cum conuenissemus ad frangendum panem*, non quasi res esset consueta, vt ille, putat dicens *conueniebant*, quod indicat consuetudinem, cum ea phrasis, *cum conuenissemus*, significet potius euentum, & concursum, non insolitum quidem, sed non propterea consuetum. Tertium grauius est, quod affirmat in omnibus ijs locis, mentionem fieri de Eucharistia, eamque esse concordem omnium interpretum sententiam. Nam vt de primo loco Actorum: c. 2. verum id sit, vti ibi obseruant Lyra, Cornelius, & Lorinus, & Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Eucharistia c. 24. & Vasquez disputatione 216. c. 2. num. 15. nonnullis tamen dissentientibus, qualis est Chrysostomus, & Theophylactus, certè de secundo, & tertio non tā est concors interpretum sententia, vti in Cornelio, & Lorino videre est. Certè Lyra eo in loco Actorum 20. de corporali refectione interpretatur.

Lyra. Corn. Lorin. Bellarm. Vasquez.

His obiter animaduersis, venio ad illud additamentum Auctoris: *Quam scilicet in domibus fidelium reperiebant*. Accepto Eucharistiam frangi, & porrigi, quæ ista consecutio est? fermentati ne, an Azymi? nam ne Auctor quidem ipse declarat: dum enim dicit, *Qualem in domibus Fidelium reperiebant*, in medio relin-

relinquit Panem; vter sit, minime definiens. Potuit autem in ijs domibus Azymus inueniri, & porrigi communicaturis, vti ego eum textum cum omnibus nostris intelligo, nimirum Apostolos, vel secum portasse Panem Azymum, vel fideles ipsum ex ante preparatum habuisse. Talem ergo inueniebant, qualis erat ad consecrandum idoneus. At contrà existimat Auctor Eminentissimus. Intelligo quid sentiat quanquam non exprimat sensum suum verbis perspicuis. Inuit tamen Fermentatum. Nego; & aio eos inuenire solitos talem Panem, qui esset Azymus, non fermentatus. Quod si Auctor ijs verbis ambiguis conatur introducere fermentatum, ei contrauenio obiecta phrasi Scripturæ, quæ per *fractionem Panis*, Eucharistiam solet significare, quando eo primum instituta est, & iterum à Christo ministrata: nimirum in Azymo. Igitur cùm dicitur, *frangi Panis*, & *Fractio Panis*, Azymus retinendus, non fermentatus intrudendus. Cur eum Panem Eminentiss. Auctor subtrahit in quo Eucharistia fuit ab initio confecta, & porrecta? Legimus in Matthæo, *Benedixit ac fregit, deditque*, Legimus iterum Lucæ vltimo. *Cognouerunt eum in fractione Panis*. Constat in his duobus locis de Pane Azymo. Quare vbi est eadem phrasis non est idem panis? *Fractio Panis* genuina nota est Panis Azymi, eaque fermentatus excluditur. Assumptum ostendit Maldonatus in c. 26. Matthæi, & Vasquez dist. 186. c. 3. ibi, qui existimant Christum certo quodam, & speciali modo, vti solere cum partiebatur *Maldon.* *Vasq.*

 Eucha-

Eucharistiam; cum enim sumebat præ manibus Panem, ita frangebat, vt modus ipse frangendi peculiaris esset; ac eo significabat mysterium se se operari, quod certe non quadrat in Panem Eucharisticum fermentatum, quem videmus in Græcorum Altaribus non frangi manibus, sed lanceolis scindi, & secari. Quod alienum est à fractione, qua Christus vtebatur, ac proinde, quod eruditissimus Auctor argumentum sumit, vbi frangi Panis dicitur, & fractio Panis ponitur, illo ipsa opinio refutatur.

Accedo ad aliam particulam, quæ huiusmodi est: *Nec vnquam Humbertus Cardinalis, & reliqui Scriptores, qui primitus aduersus Græcos pro Azymis decertarunt, hanc perpetui moris præscriptionem in suæ causæ defensionem, & robur afferre ausi sūt, quòd serius à Latinis recepta Azyma nō ignorarent.* Imo nullus prorsus eorum, qui pro Azymo scripsit, non eam præscriptam consuetudinem affirmauit. Omnes eius argumento vsi sunt ad Græcos conuincēdos. Patet legenti superiora. Sed quoniam Eminentissimus Auctor Humbertum nominare voluit, de eo confirmo, nihil aliud in suo illo opusculo aduersus Græcorum calumnias egisse; & prouoco ad eumdem. Legat, qui volet. Affero expressa verba Humberti. *Quam Reuerendam,* inquit *Angelis, & hominibus institutionem, etiam sancta Sion, prima scilicet Ecclesia, vsque ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit.* Iterum. *Iam quia sufficienti auctoritate noui, & veteris testamenti constat Dominum nostrum Iesum Christum commemorationem suæ Passionis recolendam in Azymis Discipulis sub ipsa cœna commendasse, sicut hodie Romana, & Latina Ecclesia noscitur recolere. &c.* Quid manifestius? Hæc sint

satis,

latis, è multis, quę si proferenda essent, totus mihi liber esset transcribendus.

Sed vocat me Rhabani testimonium, quod cum sit clarissimum pro Azymo, conatur tamen illum Eruditissimus Cardinalis suspectum reddere, & offusis tenebris obscurare. Igitur sic in eodem §.

Non possum autem hoc loco omittere, aut dissimulare Rhabani Mauri sententiam, qui lib. 1. de Institutione Clericorum, quem scripsisse testatur anno Domini 819. cap. 31. ait Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis sacrificari oportet. Quæ verba, & alia, quæ sequuntur ad comprobandum Azymorum vsum assertioni nostræ procul dubio aduersari videntur. Sed dum attentiùs considero nullam viuente Rhabano de Azymo, & fermentato controuersiam extitisse: nec ab alijs illius sæculi scriptoribus Azymorum pro vsu Sacrificij mentionem fieri, suspicatus sum addita illa ab aliquo recentiore ex ritu sui temporis. Vt igitur hac de re certior fierem ad codices manu scriptos confugiendum esse existimaui, vnunque reperi in Bibliotheca Vaticana, num. 1149. sic inscriptum, Rhabani Mauri liber de Officijs Ecclesiasticis, & sic incipientem: Qualiter ad diuinum Officium instrui oportet Sanctissimum Ordinem Clericorum institutio Ecclesiastica narratione declarat multimoda. Est autem lib. 3. citati operis de institutione Clericorum, isque in multis ab edito diuersus: ex quo meam suspicionem haud temerariam fuisse cognoui, & à Recentioribus auctum, & interpolatum fuisse non inconsultè iudicaui. Bona. Bona.

Primùm largior illud: nullam viuente Rhabano de Azymo, & fermentato controuersiam extitisse; nempe de Azymo nemo dubitabat, ac is extra controuersiam erat. Deinde concedo ab alijs illius seculi Scriptoribus nullam de Azymo (quod prorsus negandum est) fieri mentionem. Quamuis enim ista con-

nihil sequitur aduersus Azymum, cùm illud silentium vtrique pani conueniat. Quare neutri, aut fauet, aut nocet. Nulla tunc de eo quæstio erat. Verùm nitidè respondeo negando, cùm apud Paschasium Ratbertum Rhabano æqualem, imo superiorem, vt supra commemoraui, expressa mentio Azymi reperiatur.

Veniamus ad testimonium Rhabani. Indubitatum esse contendo. Typi loquuntur. Addidi aliud ex cōmentarijs in Exodum testimonium, pro Azymo à me inuentum in libro antiquissimo nostræ Bibliothecæ Patauinæ Sancti Francisci Magni, quod contuli cum alijs recentioribus typis editis, quos reperi in illa insigni Bibliotheca Patrum Theatinorum eiusdem Ciuitatis, vbi etiam reperi illud palmare libri de institutione Clericorum omnino expressum. Volo tamen Anctori Eminentissimo, cui propter suam, & singularem pietatem, & excellentem eruditionem valdè cupio, morem gerere. Vaticano illo codice stare volo, imo & testimonio Auctoris hic posito. Ait ille: *est autem codex lib. 3. citati operis de institutione Clericorum, isque in multis ab edito diuersus*. Accipio, & inquiro. Inter hęc multa continetur illud, de quo agimus Azymi testimonium? nec ne? nam si continetur, & in eo concordat cum libro edito, non licet de eo ambigere. Si autem ibi non continetur, vel corruptum inuenitur, tunc disputabimus vter valeat manuscriptus codex, an editus liber? Sentio commoueri Auctorem doctissimum, & fateri pro sua ingenuitate testimonium ibi contineri, id que significant illa verba, *Librum à Recentioribus auctum, & interpolatum fuisse non mi-*

consultè iudicani. Loquitur de libro non de testimonio; quod non negat in eo libro sic interpolato inueniri. Ibi ergo erat, & cum edito concordabat, eoque ipso testabatur certum prorsus esse, ac indubitatum, cum diuersitas in cæteris aliqua, in eo nulla appareret. Cur ergo ambigitur de testimonio, si vbi reliqua discrepant, istud conuenit? Credamus libro edito, quia congruit codici manuscripto. Scias, mi Lector, ita omnino scriptum esse in eo codice Vaticano, sicut in alijs, & in libris editis habemus, & omnes in eo concordare. Nam si Auctor Eminentissimus illud testimonium in eo codice non inueniret, exultaret, & triumpharet, dum igitur tacet, suo silentio prodit testimonium illud in Vaticano codice, sicut in libris editis reperiri. Deinde largior ei fidenter illud manuscriptum Vaticanum à libris editis discordare. Quid tum? An illud est præferendum alijs codicibus, vnde librorum editiones sunt desumptæ? Editionibus magna est habenda fides, cùm multa manuscripta ad eas abhiberi, & recognosci soleant: Non est æstimanda fides editionum solemnium vno, vel altero manuscripto, interdum rancido, puluerulento, & semiroso. Vtimur manuscriptis, tamquam laminis infectis, libris autem tamquam nummis factis, & signatis, quibus publica forma inest. Sunt recogniti ab Auctoribus, emendati à censoribus Sancti Officij: non prodeunt in publicum, nisi examinati, probati, & approbati, & ita in fidem publicam transeunt. Iis igitur est credendum.

Caput

Caput XI.

Coniectura de fermento Pontificio eliditur, & ad vsum Azymi reuocatur.

HIc omnino est Achilles Auctoris, videamus, quibus eum induat armis n. 8. nimirum tribus testimonijs Romanorum Pontificum: Melchiadis, Siricij, Innocentij primi: his enim vtitur. Omnia continent fermentum consecratum mitti solitum à Pontificibus Romanis in signum, & symbolum communionis Catholicæ per titulos, siue Ecclesias Vrbis, quod Fermentum consecratum Eucharistiam esse Auctor Eminentissimus sibi persuasissimum habet. Verba illius sunt. *Mittebant itaque Pontifices ad Ecclesias Vrbis in signum mutuæ communionis Panem, qui Fermentum dicebatur, quo nomine, ipsam Eucharistiam intelligendam esse, non autem Eulogias, vt contendit Baronius ex verbis Malchiadis, & Siricij manifeste deducitur: illi enim de Pane consecrato loquuntur, non de Eologijs, quibus nomen consecrationis aptari non potest: & Innocentius,* addit, *rationem reddens propter quam illud Fermentum non mittebatur extra Vrbem, quia inquit non longè portanda sunt Sacramenta. De Sacramento igitur hic sermo est, non de Eulogijs, quæ non sunt Sacramentum.* Hæc sunt huius Achillis arma, sed speciosa magis, quàm fortia. Nunc siue illud Fermentum sit Eucharistia, siue non [quod mihi cum Baronio exploratum est] non sequitur consecratio Eucharistiæ in Fermentato, quod est institutum Eminentissimi Auctoris. Probo vtrumque. Si est Euchâristia potuit panis Azymus Fermenti nomine appellari; quemadmodum

Card Bon.

Baron.

indi-

iudicarunt duo illi insignes doctrina viri, quos laudat, Latinus Latinius, & Antonius Augustinus, quos cùm veluti Patronos suæ causæ aduersus Baronium appellasset Auctor doctissimus, sensit posteà sibi aduersari, & quasi præuaricationis arguit, quod in eo Fermento Eucharisticum Panem ex Azymo tamen confectum agnouerint, ac eius vocabuli rationem reddiderint. Itaque in ipsomet Fermentato, cùm semel Eucharistiam agnoscent, Azymum consequentur agnouerunt. Verùm dissentit hac in parte ab ijs Purpuratus Auctor, & Syrmondo assentitur. Equidem fateor me nõ capere rationẽ, qua illorũ placitum impugnat. Si enim illud Fermentum erat Eucharistia, cur non poterat in Azymo confici? Non enim dicitur Fermentatum, siue panis Fermentatis, quod omnino exluderet Azymum Panem; sed *Fermentum* vocatur: quo nomine propter mysticam significationem potuit Azymus appellari. Cum enim Fermentatum, vt idem ipse ait cum Syrmondo ad finem. §. 8. symbolicè vnionem, & charitatem significaret, quia erat Eucharistia, ex vtro Pane constaret, semper eiusdem vnionis symbolum esset. Sentiat ergo bonis auibus cum Syrmondo qui putat (verba sunt hoc loco Auctoris) *ex eo Fermentum Eucharistiam à prædictis Pontificibus dictum, non quod ex pane fermentato esset, sed, quod ipsa quocumque ex pane fieret Ecclesijs ad quas mittebatur Frumenti vicem præstaret, eisque vnionis inter se vinculum esset, sicut Fermentum Massæ, cui commiscetur.* Necesse igitur est, vt probet meam sententiam, cum sit eadem, quæ Syrmondi, sic enim paragraphum

Lat. Latin.
Ant. Aug.
Syrm.
Bona.

con-

concludit *Nihil vetat quin vtrumque verum sit, & Eucharistiam Fermentum dictam, quia re vera, ex Fermentato erat, & symbolicè etiam Fermentum nuncupatam, quod signum sit vnitatis, & vinculum charitatis*. Satis ergo erit hæc significatio, & Eucharistia in quocunque sit Pane, Fermentum, vt concedit Syrmondus, nuncupetur. Maneat igitur Azymus in hoc Fermento eodem nomine affectus, quemadmodum Latinius, & Antonius Augustinus eruditi homines existimant, & ego, si eorum sententiam de Fermento Eucharistico sequerer, existimarem.

Oppositum tamen cum Baronio, Spondano, & Binio prorsus sentio: videlicet illud Fermentum non esse Eucharistiam, sed Eulogiam ex fermento, siue ex Pane fermentato confectam, eoque nomine appellari, vt distingueretur ab Eucharistía, quæ cùm esset symbolum consensionis catholicæ poterat à minus peritis cum Eulogia confundi, ac misceri: quod ante me obseruauit Spondanus ad annũ Christi 313. *ad distinctionem*, inquit, *Azymi Panis, ex quo solcret confici Eucharistia*. Expendamus tamen momenta illorum, quæ adducit sumpta ex decretis Pontificum, testimoniorum. Ac primum illud in vita Melchiadis. *Hic fecit, vt oblationes consecratas per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur*. Hæc verba non continent Eucharistiam. Vox quippe *Oblationes* sonat Panes illos benedictos, de quibus supra commemorauimus Eulogiarum, qui charitatis fraternæ causa per Ecclesias mittebantur. An ne Eucharistia consecrata ab Episcopo ad alias Ecclesias mitteretur? Quid absurdius? quid à de-

Spondan.

coro

coro alienius? nonne erant in ijs Ecclesijs Sacerdotes, qui Eucharistiam consecrarent? Solus Episcopus in sua Diæcesi consecrabat? expectanda erat omnium ab eo solo Communio? Alij Presbyteri otiabantur, non sacrificabant? non consecrabant? At respondebit quispiam. Episcopum non mittere illam Eucharistiam pro Communione omnium, sed tantùm vnum Panem consecratum per singulas Ecclesias, qui esset Symbolum, & signum vnionis. Repello. Ille panis Eucharisticus manebat ne integer, in Sacrario? inclusus, intactus, & illibatus, an distribuebatur, & diuisus in partes sumebatur à fidelibus? Integer non manebat, nã per singulas Dominicas mitti consueuerat; quod argumento est non remanere integrum aliũ, anteà missum: nec enim renouari opus esset, cum ille superesset. Igitur sumebatur pro Cõmunione: ex quo sequitur, quod assumpseram, communicari ex eo Fideles nõ ex consecrato à suis Parochis. Deinde vnus Panis satis non erat omnibus communicaturis; igitur oportebat plures mitti, & omnes ex ijs participare, ac proinde superflua erat consecratio Parochi. Præterea admisso, ex eo fermento Eucharistico cõmunicare omnes, & ad eum finem mitti Eucharistiã, sequitur omnes Fideles, singulis quibusque Dominicis sumere Eucharistiam. Ad idque consuetudine teneri, quod abhorret ab historiarum veritate.

Nec opponas Eucharistiã mitti ad eum solũ finem, vt esset symbolum vnionis, & charitatis. Nam iste finis non decebat tanti mysterij dignitatẽ, poteratque fieri per Panes benedictos, & Eulogias, quemadmodum superius demonstrauimus.

Venio ad Siricium. *Hic constituit: vt nullus Presbyter celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designatum susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Hoc testimonium refellitur. Si Fermentum declaratum erat consecratum, ac proinde Eucharistia, igitur illis diebus Presbyteri non consecrabant, sed accipiebant ab Episcopo Eucharistiam, & ex consequenti minimè celebrabãt. Deinde quid opus erat missitari toties Sacrosanctam Eucharistiam tamquam baiulam pacis, cum ad id, vt proximè diximus, sufficeret Eulogia? Non erat illud Ministerium tanto baiulo dignum. Denique illa vox *Declaratum* significat aliquam notam impressam Pani, vt discerneretur ab alio Pane vulgari, ac minime benedicto; quæ nota est aliena à Sacrosancta Eucharistia, quæ non indigebat illo signo, vt discerneretur ab alijs Panibus: satis enim per se distinguebatur, & sua se reuerentia prodebat. Igitur illud Fermentum erat Panis benedictus, atque adeo Eulogia.

Progredior ad Innocentium. Sic ille Epist. ad Decentium. c. 5. *De Fermento, quod die Dominico per titulos mittimus superfluè nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Ciuitatem sint constitutæ; quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, vt se à nostra communione illa die non iudicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta.* Fallor nisi his verbis refellitur opinio de Eucharistia Fermento, & miror fuisse aliquos, qui sibi persuaserunt hoc in loco fermentum contineri, cùm sit maximè ab eo alienus. Patet

Innocent.

Fer-

Fermentum illud erat quod mittebatur die Dominico. Hoc antem non erat Eucharistia, vt proximè diximus, cùm illo, nec Sacerdos, nec populus indigeret; & noua coniectura id suadetur, quia de eo non dubitaret Decentius, si Eucharistia esset. Deinde causa allata ab Innocentio probat non esse Eucharistiam. Ea huiusmodi est; non posse Presbyteros secum conuenire ad significationem coràm exhibendam concordiæ, & vnionis inter se; idcirco mitti fermentum, quod suppleret illam absentiam, & testaretur coniunctionem animorum. An tu dixeris, Lector, ideo mitti Eucharistiam, vt suppleret Eulogiam? Finis ille, *Vt se à nostra communione illa die non iudicent separatos* longius abest ab Eucharistiæ dignitate, quàm vt eo sic reuocanda. Exceptio autem illa *per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta* meam sententiam corroborat. Non enim opus erat, ad Ecclesias remotas illud symbolum charitatis mittere, cùm longitudo itineris obstaret, sicuti nec ad cæmeteria, cum essent recondita, & abstrusa, & non nulla extra Ciuitatem. Poterat quippe suppleri illud symbolum Fermenti Pontificij per aliud fermentum confectum à Presbyteris in ijs Parochijs, & cæmeterijs constitutis, qui mutuò se possent ijs Eulogijs ad charitatem inuitare. Obserua, Lector, illa verba in fine *eorum conficiendorum ius habent, atque licentiam,* idest Panum benedictorum Eulogiarum, non Eucharistiæ rem continere: ad hanc enim consecrandam non indigebant Presbyteri iure, ac licentia, cùm ad potestatē Ordinis pertineret, in quam

non quadrant *ius, & licentia,* qui sunt termini Ecclesiasticę potestatis, imo ijs verbis significatur alijs etiã non Presbyteris illud ius, & licentiam conuenire, quẽadmodum inferius dicemus adducto exemplo ex Prato Spirituali, Auctore Ioanne Moscho, quo probatur non ad solos Presbyteros Eulogiarum consecrationes pertinuisse. Ecquis non videt hanc esse demonstrationem pro Eulogia? nam Eucharistia non poterat à non Presbyteris confici. Addo aliam. Istud Fermentum mitti solebat per Acolythos, vt est in textu, non autem per ipsos Presbyteros, aut Diaconos, quorum proprium erat Ministerium deferendi Eucharistiam, non autem Acolythorum, ex ordine inferiori, quemadmodum animaduertit Vasquez d. 219. & 236. de Sacramento Ordinis Tomo 3. in 3. partem D. Thomæ, Henriquez, & Layman cum alijs à nobis allegatis lib. 4. de Clauibus Petri c. 14. de Sacramento Eucharistiæ. Nullum igitur testimonium ab Eminentissimo Auctore adductum probat esse Eucharistiam: imo ea omnia probant oppositum.

Vasq. Henriq. Layman. Macedo.

Venio ad Latinum Latinium, quem appellat, qui fermentum illud Eucharistiam putat. Iampridem mihi notus erat Latinius, cũ anno 1657. cũ fui Viterbij apud Eminentissimum Dominum Cardinalem Franciscum Mariam Brancatium eius Vrbis Episcopum virum omni virtutum, & doctrinarum genere excellentem, splendore sanguinis clarum, munerum amplitudine conspicuum, Doctorum hominum studiosissimum, & liberalissimum Męcenatẽ, ac eiusdem Bibliothecam, cum admiratione inspexi, & Latini

Card. Brancacius.

Latinii

Latinij præclara monumenta, opera Dominici Magri Canonici Viterbiensis Ecclesiæ, ac eiusdem Eminentissimi Principis Bibliothecarij, hominis eruditissimi euolui, & recognoui; verùm, vt in alijs eum Auctorem suspiciam, & colam, certè hac in re probare non possum, nec tantæ apud me fidei esse debet in rebus sacris, qui in profanis sæpe fallit, & fallitur, sicuti apparet in ijs, quæ aduersus Annium Viterbiensem insignem Historicum scripsit, quemadmodum palam facit eximius Theologus, & eruditus Scriptor Thomas à Mazza Forliuiensis Inquisitor Veronæ in sua defensione Annii, & rursus in Gotthica historia vernaculo sermone conscripta, & elegantissimè concinnata, vbi errores manifestos Latinij adducit, & refutat, & calumnias Annio impositas detegit, ac depellit. Verùm vtcumque sit: Latinius in quæstione capitali distat omnino ab Auctore Eminentissimo: negat, quod ille affirmat: nimirum Fermentum illud, quod existimat esse ipsammet Eucharistiam ex fermentato constare, sentiens cum Latinis Azymum esse, non fermentatum. Quod si rationes ab eodem Latinio adductæ, cur Fermentum appelletur, minus videntur Auctori doctissimo probabiles, neget cum eo esse panem Fermentatum, & nobiscum sentiat in ratione appellandi: vel potius fateatur illud Fermentum esse panem benedictum, ac proinde Eulogiam, non Eucharistiam: & consentiet Antonio Augustino Episc. Ilerdensi, Baronio, Spondano, Binio, qui rem acu tetigerunt. Iam verò, quod ait Purpuratus Auctor,

Dom. Mag.

Tom. Maz. z. 1.

Ant. Aug.

Si Panis, quem mittebant erat consecratus, certum est quod ad
Bo..t. *Missam à Presbyteris titulorũ, celebrandam non pertinebant. An igitur a fidelibus accipiebant in Missa consecrandas, ex quibus, & ex Pane consecrato, quem Pontifex miserat tam Sacerdos, quàm adstantes in signum mutuæ pacis, dilectionis, atque vnitatis communicabant? hoc plane verisimile, imo certum mihi videtur* : secus est, quàm putat: neque modus, quo rem expedit, constat: tum quod Presbytero bis sumendum erat Christi Corpus, & quod confecerat in Missa, & quod missum erat à Pontifice: tum, quod tanta Populi multitudo non poterat ex illo Frumento, siue Eucharistia missa communicare, cùm vnus tantum panis mitti soleret; nisi si dicat plures, & qui satis essent ad Communionem Fidelium mitti, quod videtur improbabile: quomodo enim posset tanta copia panis parari? quomodo posset sufficere multitudini Fidelium concurrentium? Quomodo, & quantis canistris opus esset ad illam turbam reficiendam? cum præsertim singuli pro se quisque de illa Eucharistia, quæ à Papa veniebat participare cuperent, atque adeo maior esset turba conuenientium, quam vt ijs sufficeret panis delatus. Hæc me certè ab illa opinione, si in ea essem, deducerent. Illud vero prorsus deterreret, quod supra significaui, non opus esse ad significandam illam vnionem, & pacem inter se fidelium Eucharistia, & minus ea dignum esse munus, ac proinde alteri pani ab Eucharistico assignandum. Caluiniani existimant panem illum suum mysticum, quem Eucharistiam putant, & Corpus Christi esse negant, satis esse ad suas synaxes, vt ipsi iactant, (nos conuenticula esse scimus) tamquam si-

gno, & symbolo vnionis, & concordiæ notandas; & confirmandas. Vereor ne si audiant id munus apud nos per Eucharistiam præstari, in suo errore firmentur, quòd videant, per suum panem nudum, & spurium fieri, id quod nos per verum, & germanum Christi Corpus effici existimamus.

Tandem non esse illud Fermentum Eucharistiam alia ratione conficio. Illud Fermentum ponitur sine vlla mentione Consecrationis Vini. Nec enim vsquam legitur simul cum Vino, sed inuenitur solitariè confectum, & seorsim missum. Hoc autem pugnat cum Consecratione Eucharistiæ, quæ intra Sacrificium fieri debuit, debetque. Euertit ergo illud Fermentum rationem Sacrificij. Occurret tamen Auctor Eminentissimus dicendo, consecrari quidem Frumentum simul cum Calice, sed mitti separatum. At id oportet probare; quod erit difficile; nam modus loquendi Auctorum indicat seorsim tum confici, tum mitti, id que innuit illa particula, *A nobis confectum*, quod scribit Innocentius ad Decentium. c. 6. & notat Petrus (quem citat) Vrbeuetanus; imo & obseruo vocem *confectum* non quadrare in Eucharistiam, cuius materia confecta supponitur, non conficitur à Sacerdote. Conficitur quidem Eucharistia in Pane, vel ex Pane, siue Azymo, siue Fermentato; sed non conficitur Panis à Sacerdote. Non eò hæc dico, quòd sentiam Papam conficere solere Panem benedictum, *Frumentum*, suis proprijs manibus, sed apud ipsum à Ministris ad id munus deputatis fieri, & postea à Papa benedici. Ad institutum. Si

illud Fermentum erat Eucharistia congruentius esse videbatur, si cum Vino pariter mitteretur, quando simul cum vino consecrabatur: cùm præsertim ijs temporibus, vel ipsius Auctoris Purpurati confessione, Communio sub vtraque specie frequentaretur: Satius quidem esset integro Sacramento vti, tamquã iusto Symbolo vnionis, & charitatis; quam illa coniunctio Panis, & Vini propriè significabat, ac multò meliùs, quàm vna tantum species; quæ ab altera separata, & seorsim missa, diuisionem potius, & discordiam præseferebat.

Præstat hic audire Seuerinum Binium Virum diligentem, ac eruditum in suis ad vitas Pontificum, & Acta Conciliorum notis, quę quanti sint momenti apparet ex eo, quòd Parisijs in ipsa Arce eruditæ autoritatis in editione illa nobilissima Conciliorum typis expressa Regijs, qua nihil luculentius excogitari potest, Principes illi Doctrinarum uiri eam adhibere voluerunt, iis que vsi sunt ad exponendos Conciliorum Canones; quo præclarum Seuerino Binio eruditionis testimonium dederunt, vt illius Notæ deinceps Parisinæ auctoritatis pōdus sint habituræ. Is igitur in notis ad vitam Melchiadis super verba proxima tum ab Auctore, tum à me adducta, quæ huiusmodi sunt: *Hic fecit, vt oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum* Seuerinus Binius sic ait. *Locus sanè obscurus ita tamen explicandus. Melchiades Pontifex instituit, vt Panem fermentatum à Populo, aut Presbyteris oblatum ab Episcopis consecratum singulorum titulorum, aut paræciarum Presbyteri in symbolum Catholicæ vnionis, ac Communionis non modo ipsi acciperent,*

Seuerin. Binius.

verum

verum etiam alijs Fidelibus sub se constitutis, qui Sacratissimam Eucharistiam non communicassent, certo tempore distribuerent. Explicatio hæc declaratur optimè ex antiquissimo Canone Pij Papæ, & Martyris supra extante, qui sic habet. *Vt de oblationibus, quæ offeruntur à Populo, & consecrationibus, quæ supersunt, vel de Panibus, quos deferunt Fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter conuenienter partes incisas habeat in Vase nitido, & conuenienti, vt post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati Eulogias (idest Panem benedictum) omni die Dominico, & in diebus Festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.* Item ex illo Innocentij Epistolà ad Decentium. c. 5. vbi sic ait. *De fermento verò quod die Dominico per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Ciuitatem sint cõstitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi commissã nobiscum conuenire nõ possunt, ideo fermentũ à nobis confectũ per Acolythos accipiunt, vt se à nostra Communione maximè illa die non iudicent separatos,* vnde patet ipsum Panem in Symbolum vnionis, & communicationis catholicæ consecratum, acceptum, ac distributum, alibi fermentum benedictum, alibi oblationem, alibi Eulogias, seu benedictiones, aut consecrationes, alibi nimorum Epistola quadam Epiphanij ad Hormisdam Papam Sacramentum appellari diuersas ob causas. Ad distinctionem Panis Azymi ex quo Eucharistia conficiebatur, nominabatur Fermentum, seu Panis ex massa fermentata formatus. Quia ex Pane fermentato massa coagmentata ad benedicendum à plebe, vel à Presbyteris offerebatur, idem symbolum vnionis dicebatur oblatio. Quòd Episcopali consecratione Panis oblatus benediceretur, Eulogia, benedictio, aut consecratio nominabatur. Demũ quod ad significandam catholicã vnionem Episcopali benedictione consignaretur, Sacramentum est appellatum.

Hanc cerimoniam non tantum in Romana, & Occidentali, sed etiam in Orientali Ecclesia seruatam fuisse ex Canone 14.32.34. Concilij Ladiceni constat. Vbi dicimus præter publicas Eulogias, de quibus hic, fuisse alias priuatas, quas Amici inter se vltrò, citroque dare, atque accipere consueuerunt. Vide etiam notas nostras ad Epistolam Innocentij, quam scripsit ad Decentium. Item Baronium anno 313. n. 49. & sequentibus. Hæc Binius, qui summatim dixit, quæ nos anteà latius, & copiosius exposuimus;

Concil. Laodic.

Rursum idem in notis super Concilium Carthaginense tertium, siue iuxta alios secundum. Can. 5. *Sicut paschalibus diebus de Eulogijs, aut fermentato Pane Communicare Can. 14. Concilij Laodiceni Fidelibus interdictum: Contra vero Sacramenta in Baptismate suscepta vsurpare permissum fuit: ita constituitur hic, ne intra Paschales dies Catechumeni inferioris Ordinis ad participādas Eulogias publicas, quę alias Sacramentum, & fermentum appellantur, admittantur: Salis autem Sacramentum, quo exordio sui Catechismi ad salutem conditi erant accipere liceat. Vnde per Sacramentum hoc loco non Eucharistia sacra, de qua expresso nomine sequenti Canone agitur, sed quidquid mysticum est, & sacrum signum accipi debet. Vide notas Can. 14. Concilij Laodiceni.*

Concil. Carthagin.

Etquidem Baronium in eadem esse sententia fatetur Auctor Eminentissimus, & cum eo proterea expostulat. Addo Spondanum, qui magnum secum pondus auctoritatis trahit. Is eodem quo Baronius citatus à Binio anno, & loco, idest 313. n. 49. scribit nihil aliud esse *fermentum, quàm fermentatum Panem benedictum, quo ob Communicationis symbolum ab Episcopo impertirentur cuncti Parochiales Presbyteri, qui eumdem sub se constitutis Fidelibus distribuerent certis diebus, quod quid in diuersis nominibus appellatum reperitur, puta fermentum, ad distinctionem Azymi Panis, ex quo soleret confici Eucharistia;*

Baron.

Spōdanus.

item Eulogia, seu benedictio, quòd ab Episcopis benedici, ac signari solèret, vt est etiam de eadem re elegans exemplum in Actis Sancti Albini Episcopi Andegauensis: ac denique Sacramentum ob sacræ rei signum, nempè Catholicæ vnionis, quo nomine ab Innocentio appellatur.

Hunc nodum obijcio Auctori Purpurato, è tribus funiculis, siue testimonijs complexum, soluendum, qui difficilè, opinor, explicabitur. Adijcio Albaspinæum sibi, vt ille nouit, Aduersarium, meque item addidero, iam olim Romæ, cùm ambo qualificatores Sancti Officii essemus, in eo tomo de Scholis Theologicis Schola 12. cum Baronio, & Binio, & Spondano sentientem, & nunc optimis, ni fallor, coniecturis fermentum istud Eucharistiæ loco positũ infirmantem, vt nullo firmamento stabiliri huiusmodi fermentum possit: quamquam illud *Sacramentum* appelletur, quo nomine existimauit Purpuratus Auctor solam Eucharistiam significari, contra quàm in scriptis Ecclesiasticis accipi solet, quemadmodum animaduertit Baronius, ex quo superius id notauimus.

Produco locum Baroniij anno Christi 314. vbi *Baron.* cum obseruasset Eucharistiam olim nuncupari solitã *sacra mysteria: quo*, inquit, *nomine à Grecis etiam appellari consueuit. Sæpe itidem eamdem Eucharistia ab eo dici Communionem; Sacramentum autem, vt voce generica, semel tantum pro Eucharistia vsurpatum esse reperies*. Cuius sententiam de huiusmodi fermento minimè Eucharistico secutus est Seuerinus Binius, & Doctores Parisienses Regiæ Typographiæ præpositi approbarunt. Totam vero Doctrinam de Pane isto Eulogiarum benedicto, &

de formula benedictionis, ac personis, quibus ea commissa benedicendi potestas, confirmare iuuat apposito exemplo, à me reperto in Prato Spirituali, libro 10. de vitis Patrum Auctore Ioanne Moscho c.25. *Frater quidam erat in cœnobio Cuziba, vt nobis Abbas Gregorius. 3. ex Scholaribus retulit, qui sanctæ oblationis verba, ritumque didicerat. Die ergo quadam missus vt benedictiones ferret, cum iam rediret ad Monasterium verba sanctæ oblationis, quasi versus aliquos caneret, dixit. Easdem vero benedictiones imposuerunt Diaconi sacro Altari: quas cum Abbas Ioannes Presbyter offerret, qui postea Cæsareæ Palestinæ Episcopus fuit, non vidit, vt solitus erat, Sancti Spiritus aduentum. Contristatusque valde, & cogitans, ne quid fortè peccasset in mente, atque ideo se Spiritus Sanctus auertisset, ingressus est Sacrarium plorans, corruitque in faciem suam. Apparuit autem ei Angelus Domini dicens. Quoniam Frater ille, qui oblationes attulit verba sanctæ oblationis in via dixit, sanctificatæ iam, ac perfectæ sunt. Tunc igitur statuit senior, vt nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quispiam diceret, quocumque tempore, absque loco consecrato.* Hic locus in rem quadrat, & Doctrinam hactenus traditam continet. Nam illæ oblationes omninò erant Eulogiæ, certis quibusdam verbis benedictæ, & consecratæ, & sanctificatæ, nec tamen erant Sacra mysteria Eucharistiæ, cuius similitudinem referebant, idque patet ex certa illa formula verborum, quæ constabat certis quibusdam vocibus ad benedicendum illum Panem excogitatis, ab Eucharistiæ cõsecratione diuersis: nam si essent verba Cõsecrationis Eucharistiæ, ea, & nota omnibus erant, & non poterant dici, nisi à solis Presbyteris, cum illa alia ab alijs personis proferri possent.

Ioannis Moschus.

Caput

Caput XII.

Duæ particulæ §. Decimi examinantur.

QVærenti Auctori Eminentissimo, & Doctissimo, quando, & quare Azymorum vsus in Ecclesiam Romanam introductus sit, ita visum est respondere. *Probabilis mihi semper visa est Syrmondi coniecturae xistimantis, tunc à Latinis recepta Azyma, cum illis opponi tamquam graue crimen à Græcis Schismaticis cæperunt. Hoc verò contigit sub Pontificatu Leonis Noni, vel paulo ante, thronum occupante Michaele Cerulario, qui primus omnium Latinæ Ecclesiæ Azymorum causa bellum indixit, quem alij postea secuti Latinos per ludibrium Azymitas nuncupabant, eorumque Sacrificium hac de causa execrabantur.* Hæc coniectura non ad modum videtur apta, nec probabilis, quia nõ bene cohæret tempus cũ causa, quomodo enim potuit tunc incipere vsus Azymorum, cum cæpit improbari? imò ideo cæpit improbari, quia antea erat: nec enim Græci illi se opponerent, nisi introductum viderent. Præcessit ergo introductio Azymi reprehẽsionem Græcorum. Dicet Purpuratus Pater, non negare se priorem fuisse introductionem, sed tantũ affirmare vtrũque codẽ tempore extitisse, & reprehendi cæpisse vsum cũ cæpit introduci. Bene est; accipio expositionem. Verùm ego, vti sum hebes, vellem, vt perspicua locutio esset, nam ille modus dicendi implexus mihi videtur, & præposterus. Videlicet tunc incepit introduci, cũ cæpit oppugnari. Ego contrà, tam sum adipali ingenio, dicerem, tunc cæptus est oppugnari, cum cæptus est introduci.

Cardin. Bona.

Verum

Verum ne de verbis contẽdamus, de re constat, nempè Cerularium se opposuisse Latinæ Ecclesiæ, cùm vidit illam Azyma vsurpasse fermentato relicto. Pergo nunc ad impugnandam coniecturam, & ostendo non videri probabilem, eamque sic retorqueo. Tunc cæperunt Græci se opponere Latinis, & Azymum improbare, cùm cæperunt recedere ab vsu conficiendi in Azymis ad ritum nouum consecrandi in fermentato; & cùm nouum, & insolitum ritum introducerent, vt aliquam, & speciosam causam mutationis suæ afferrent, Azymum improbare cæperunt, & Latinos veterem consuetudinem conficiendi in Azymo Eucharistiam seruantes criminari, & Azymitas numcupare, ne scilicet ipsimet Greci temerè à veteri instituto deficere viderentur. Constat hæc ratio tum ex epistolis Papæ Leonis Noni, & Gregorij 7. tum ex dodoctrina Innocentij III. tum ex scriptis Humberti, Anselmi, Ruberti, Algeri, & aliorum, qui aduersus Græcorum calumnias scripserunt, nouitatem Græcis obijcientium, quòd nouum fermentati ritum inducerent, veterem abolerent, itaque ab ijs rationem sui facti exigebant, & mutationem exprobrabant, idque perspicuè ijsdem obiectat Humbertus. Græcis igitur reddenda ratio erat mutati ritus, & nouitatis introductæ. Latini suum tenebant institutum, & suum solemne consecrandi in Azymo seruabant; itaque omnino tuti, ac religiosi erant. Legat superiora, qui volet. Quid? quòd Græci hoc ipsi testantur. Satis erit vnum ex ijs Barlaam Hieracensem Episcopum audire sic ad suos Grecos scribentem; *Ecclesia Romana*

ante

ante inchoatum Schisma pluribus, quàm septingentis annis per Azyma conficiebat Sanctissimam Teletam. Quo nomine Sacrificium Eucharisticum significari certum est, & multis eruditè ostendit Auctor Eminentissimus hoc in libro c. 23. §. 3. Patet igitur non tunc incepisse Latinos, imo incepisse Græcos, quorum illa fuit noua introductio fermentati, cùm vetus esset consecrandi in Azymo Latinorum consuetudo. Initium vituperandi Azymi fuit audax fermentati intrusio, quæ vti erat violenta, non poterat fieri sine iniuria. Per nefas illata fas, iusque peruertit. Ingeniosa solet esse astutia. Vitio nobis verterunt institutum vetus. Oppugnarunt ritum antiquum, ne nos defensione occupati impugnaremus nouum. Maior est quippe impetus inferentis vim, quàm arcentis. Astu, & versutia vsi intulerunt primi bellum, vt Latinos ad defensionem cogerent, & inopinato malo implicarent, ne citiùs arma expedirent, & in Aduersarios verterent. Persuasum sibi habebant Latinos non esse ausuros bello appetere irruentes: satis fore si arcerent; itaque se in tuto futuros dum alij tutari se compellebantur. Atque ut iusto bello causam aliquam honestam prætexerent, commenti sunt Christum in fermentato confecisse, & Pascha anticipasse. Idque speciosis quibusdam coniecturis, quę apud Euthymium, & Nicephorum, & alios qui hac de re scripsere Græcos, extant, quas sine dubio ab illis prioribus Cerulario, Acridano, Niceta acceperunt, utcumque probabile redidérunt, quemadmodum superius adnotauimus. Maneat igitur non eo tempore ritum Azymi apud Latinos

nos

nos incepisse, sed à Græcis introduci fermentatum cœpisse, & propterea Azymo bellum indixisse. Quid quęris Lector? ipsum nomen Azymitarum, quo Latinos per iniuriam, & ludibrium appellitabant, significat eos Latinos consueuisse in Azymo celebrare. Aliter non dicerentur Azymitę, cum eo nomine habitus innuatur, non actus. Tandem si ritus ille conficiendi in Azymo de nouo incepisset, propter illum Græci Latinos nouitatis, & insolentiæ appellarent, cuius tamen nullam prorsus criminis mentionem fecerunt. Quo euanescit illa coniectura. Eam Syrmondus nullis argumentis muniuit, sed tantum suspicionibus vsus est, quæ intra mentem formantur, & manent. Satius esset Syrmondo eas apud se retinere, ne proderentur, quàm promere ne euanescerent:

Alia particula examinanda superest, quia videtur nonnulla minus certa exhibere. Ait Dominus Purpuratus Auctor, reddens rationem, cur Panis Azymus eo seculo Michaelis Cerularij fuerit introductus, desijsse tunc oblationes Fidelium, & Panis conficiendi curam ad Sacerdotes, & Clericos pertinere cæpisse, & subiungit causam, *Quia Azymus facilius parabatur, nec vllo Canone vetitus erat, hic fermento cæpit substitui, & per alias Ecclesias propagari*. §. autem illo tertio dixerat: *Quod si sacerdos oblatum à Fidelibus Panem consecrabat, non alium sanè, quam communem, & vsitatum, ac de more fermentatum, qui singulis in promptu esset*. Primum sumit illas oblationes Fidelium esse ex Pane fermentato. Quæro cur non ex Azymo? quemadmodum,

&

& hodie in multis regionibus fieri videmus, vbi viri nobiles, & pij, & feminæ illustres, & religiosæ solent hostias apud se confectas, & interdum pollinem Sacerdotibus mittere ad Sacrificium Missæ celebrandum. Poterant farinam offerre, quod facilius erat, & affirmat Vicecomes suprà laudatus, vt ex ea hostię conficerentur. Liberè igitur assumitur fermentatum. Deinde nõ video qua ratione nititur, quod adiungit: curam conficiendi Panem Eucharisticum non pertinuisse antea ad Sacerdotes, & Clericos, cum ipsemet fateatur fermentum esse Panem confectum à Põtificibus, qui certè illud laicis non committerent subigendum, nec profanis in eo manibus vterentur: Idem de fermento, quod ab Episcopis mittebatur affirmandum. Sacratius illud erat, quam vt à laicis hominibus confici deberet. Non desierunt ergo Fideles offerre oblationes: nec de nouo cœperunt Sacerdotes Panem Eucharisticum parare. Præterea, quod ait Eminentissimus Auctor Azymum facilius parari, quàm fermentum, fateor meam tarditatem, mihi non videtur bene cum eo, quod dixerat supra. §. 8. cohærere; ibi enim negat Fideles in cryptis, & carceribus communicasse in Azymo, quia erat difficilis, & inuentu, & factu, ac proinde fermentato vsos fuisse. *Pane* inquit, *procul dubio communi celebrare oportebat: quia Azymum, nec vbique conficere, nec semper paratum habere poterant.* Confero dicta, & comperio minus concordare. Nam si Panis Azymus facilius à Clericis parabatur, quare ab isdem in cryptis non parabatur? Nonne poterat eò farina conduci, & ex

ca Panis Azymus subitario igni accenso, aqua adhibita confici? Fortasse respondebit, vt est acutus, & cautus, licuisse Clericis in domo sua liberis, at non licuisse absconditis in cryptis, nec detentis in carceribus, quibus tamen licitum erat è foro, vel è pistoria officina emere, vel ab Amicis eò diuertentibus accipere fermentatum, sine vlla suspicione; qualem ingereret Azymus introductus. Refello respõsionem. Absconditis non erat tutum exire ad emendum de publico. Vinctis non erat permissum. Introduci ab Amicis nõ minus poterant Azymi, quàm fermẽtati. Præterea non facile mihi persuadebit Auctor Eminentissimus Pane communi, & fermentato carceres abundare; nam ob sæuitiam custodum, & satellitum Panis triticeus sæpe deficiebat, & cogebantur Christiani hordeum, & milium, & interdum deteriorem Panem manducare, in quo non posset fieri consecratio. Igitur si quando in ijs locis synaxes habendæ erant, & communio paragenda, non minus esset facilè farinam deferri triticeam ab ijs, qui salutandi causa eò ventitabant Fidelibus, ex qua Panes Azymi fierent, qui minori opera parabantur, aut eos domi confectos suppeditari vinctis, qua ratione ritus Azymorum inuiolatus permanebat. Firmo coniecturam opinione quorumdam Scriptorum, quæ tametsi non est probabilis, facit in rem nostram. Quo tempore Ecclesia Martyribus abundabat, & cryptæ, & carceres vinctis pleni erant, eo ipso Alexander I. & ipse
Alex. I. Martyr decreto suo fertur sanxisse, ne quis, nisi in Azymo consecraret, vetuitque in fermentato confici

Eucha-

Eucharistiam: Quod tradunt Polydorus Virgilius lib. 5. c. 10. Platina in vita Alexandri I. & Ciacconius, alique nonnulli. Quod sanè decretum minus esset opportunum ijs temporibus, si tam difficilè pararetur Azymus, tamque facilè fermentatus haberetur. Non enim permitteret vigilantissimus Pastor, vt Martyres Christi Corpore saginandi, faciliori subsidio priuarentur. Igitur eo iudicio Auctorum fruor ad suadendum non minus esse Azymum, quàm fermentatum Panem parabilem. Narrationem inficior, cùm ea sit veritati historiarum, & traditioni à Christo, & Apostolis acceptæ contraria, quemadmodum hactenus ostendimus, cum præsertim ea placeat Caluino lib. 4. institutionum c. 17., qui commentum illud decreti Alexandri I. recepit, & celebrauit, vt traditionem conficiendi in Azymo aboleret. Itaque vtor coniectura, non abutor historia.

Alex. I. Polydor. Virgil. Platina Ciac.

Caluin.

Caput XIII.

An, quando, & qua occasione fuerit vsurpatus Azymus ab Armenis, & Ebionitis?

VT sequar ordinem, quo proceditur in hoc capite, cuius doctrinam expendo, incipio ab Armenis. Triplex de ijs quæstio est. Prima. An celebrarint, & celebrent in Azymo? Negant Guido Carmelita lib. de Hæresibus v. Armeni. Prateolus lib. 1. n. 67. Alphonsus à Castro. v. Eucha-

Guido Carmel. Prat. Castro.

ristia. Thomas à Iesu Carmelita Excalceatus. De conuersione Gentil. lib. 7. c. 17.

Verum contrà est affirmandum eos in Azymo non in fermentato confecisse. Hoc probat Doctissimus Cardinalis Bona in hoc c. 23. §. 1. testimonio Isaaci Catholici inuecti. c. 7. & Demetrij Cyziceni tract. de hæresi Iacobitarum Chatzitzariorum. Idem tradit Clemens Galanus tomo 2. secundæ partis controu. de Sacramento Eucharistiæ. §. 8. sect. 1 & apud ipsum fatentur Vartanus lib. de Monitis. c. 4. Stefanus Sianensis lib. 2. contra Diaphisitas c. 1. Gregorius Dartreuensis lib. interrogat. de Sacramentis c. de Eucharistia in suis obiectionibus aduersus Catholicos, in quarum tertia sic aiunt, *Nos sacrificamus vnà cum Latinis in Pane Azymo*. Ego maius pondus auctoritatis adhibeo, scilicet Gregorij Papæ VII. lib. 8. Epistolarum, Epistola 1. in qua sic: *Quia cognouimus Ecclesiam vestram Azyma Sacrificare, & ob hoc à Græcis dumtaxat imperitis, quasi de hæresi reprehendi*. Quæ irrefragabilis est auctoritas, ac proinde recipienda, & quæstio auferenda. Quemadmodum sustulit Henriquez grauis Auctor Societatis Iesu lib. 8. de Eucharistia c. 10. in textu. *Armeni*, inquit, *consecrant in Azymo ad imitationem Christi* Et in margine: *Armenis falsò tribuitur oppositum*. Maneat itaque Armenos in Azymo, non in fermentato consecrare consueuisse. Quoad secundam, Si vera est narratio de aduentu Regis Tyridatis cum Gregorio Magno Illuminatore Armenorum Patriarcha Romã Papa Syluestro, Imperatore Constantino, haud dubiè ritum Romanæ Ecclesiæ obseruarunt, & in Azymo

Bona. Isaac. Cathol. Demet. Galan. Vartan. Stephan. Sianen. Gregor. Dartreu. Greg. VII. Henriq.

mo consecrarunt: Verùm illius narrationis incerta Fides esse videtur, eamque in medio relinquit Eruditissimus Cardinalis hoc loco. Ea tamen mihi probatur: constat quippe ex historijs illius gentis, quas offert Galanus 1. p. Conciliationis Eccesiæ Armenæ cum Romana c. 2. & apparet in diplomate vetustissimo producto à Patre Grauina Dominicano graui, & diligenti Auctore in relat. 1. p. c. 8. reperiturque Auctographum inscriptum: *Amoris, & concordie fædus inter magnum Imperatorem Constantinum, sanctumque Syluestrum Papam, & Tyridatem Regem Armeniæ, Diuumque Gregorium Armenorum illuminatorem*. Fidem facit Metaphastes apud Surium tomo 5. die 30. Septembris in vita eiusdem Gregorij, à quo ea historia dilucidè narratur. Addit momentum Nicephorus lib. 8. c. 35. Recipit Baronius, & Spondanus ad annum 311. Hæc mihi persuadent veram esse narrationem. Quam mihi confirmarunt Principes quidam viri Armeni Romæ in Collegio de propaganda Fide Theologiam contrauersiosam tradenti, qui sibi gloriæ eam rem esse ducebant. An vero tunc inceperit apud eos vsus Azymi, quòd cum didicerint à Syluestro, sunt qui affirment, Ego secus sentio, qui animaduerto Armenos ante illum Romam aduentum Fidem Christianam fuisse professos, & Martyres habuisse. Quod si est verum, consectaneum item est sacra, & Sacramenta simul cum Fide recepisse, & conseruasse, atque adeo Missam, & Eucharistiam celebrasse, quæ cum eo tempore in Azymo conficeretur iuxta

Bona. *Galan.* *Grauina.* *Fædus Armen.* *Metaphr.* *Surium.* *Nicephor.* *Baronius.* *Spondan.*

Christi

Christi institutionem, quemadmodum supra ostendimus, in fermentato fieri non debuit. Fuit quippe Sylvestro seculo fermè inferior Epiphanius, quem constat in Azymo iuxta Sanctorum Patrum ritum celebrasse. Idque visus est significare Gregorius 7. Ep. illa 1, lib. 8. cum refert Ecclesiam Armenorum in ritu Azymorum Romanæ adhæsisse, quem ritum ait à Christo, & Apostolis acceptum, seruatum, & defensum à calumnijs Græcorum, qui ob eum Romanos, & Armenos, quasi eadem esset causa, insectabantur.

Greg. VII.

Tertia Quæstio ex dictis soluitur. Videlicet occasionem fuisse exemplum Christi in Cœna consecrantis in Azymo Corpus suum, à quo omnino eamdem quam habuit Romana Ecclesia, quæ ex Christi institutione cõsecrauit, doctrinã accepit. In quo prorsus ab Eminẽtiss. Cardin. dissentimus, ne introductionẽ Azymi candidissimi, vel leuiter denigremus. Volumus eam puram, catholicam, immunem à quacumque suspicione erroris, quem non patimur traditioni imputari. Nam, quod ait vir eruditissimus. §. illo primo, satis constare Azymum panem, & vinum sine aqua ab Armenis offerri cępisse in signum diuisionis à Catholica Ecclesia, & in symbolum hæresis Euticianæ, vt ex parte Aquę verum sit, certè de Azymo verum esse non potest: nam in Azymo pane, nulla fuit facta mutatio, cum in eo Christi exemplũ seruaretur. In aqua vero desciuerunt Armeni à Christi instituto, & Patrum consuetudine, qui semper vino aquam, exemplo Christi, miscuerunt. In duobus igi-

igitur dissentio ab Eminentissimo Bona: in tempore, & in pane; quia ego affirmo Armenos ab initio suæ Ecclesiæ frequentasse Azymum, & per annos fermè trecentos vinum aqua mixtum adhibuisse. Posteà cum ad heresim Eutychianam à fide catholica defecissent, retinuisse quidem Azymum innocentem, Aquã vero vino subtraxisse, illudque purum, ac temetum Altari adhibuisse. Igitur de Pane nego, quia numquam ille ad illam hæresim profitendam assumptus fuit, sed solus Calix: in quem subtracta solemni aqua venenum pro ea est erroris infusum. Quare Azymum vindico, vinum relinquo, vt de hoc solum vera sit sententia Eminentissimi Cardinalis. Illud quippe satis erat ad illam hæresim vnius naturæ in Christo, qui fuit error Eutychetis, significandam. Cum autem duo fuerint Armenorum Conciliabula ad hanc hæresim pertinentia, vnum Theuinense, Nierse Patriarcha: alterum Manaschiertense Patriarcha Ioanne Oznienfi, de quibus Galanus lib. 1. de Conciliat. Ecclesię Armenæ cum Romana c. 10. & lib. hist. Armen. c. 17. dubium est in vtro illud decretum de vino puro sine aqua consecrando conditum fuerit? Galanus vir in ijs rebus versatissimus negat in Theuinensi, concedit in Manaschiertensi, & narrat historiam, quam ex eo producit Cardinalis Bona. Ego illa excerpo, quæ rem continent. *Conuenientibus cum Armenis, sex Assyriis Episcopis definita fuit in Christo vna natura, vna voluntas, & vna operatio: fueruntque à sacris mysterijs ablata fermentum, & aqua, Canoneque constitutum est, non esse amplius in Sacrificijs aquam vino miscendam.* Hoc vero Concilia-

Galanus.

Conciliab. Armenor.

liabulum paulò antè Trullanam synodum prope annum sexcentesimum congregatum fuit.

Hoc præmisso ingens contra nos argumentum existit, quod militat pro sententia Eminentissimi Cardinalis Bonæ. Hic dicitur fermentum fuisse ablatum cum aqua à sacris mysterijs, idest Eucharistia: Fermentum autem significat panem fermentatum, non Azymum. Igitur Armeni in fermentato, non Azymo consecrabant. Ac proinde, quod Cardinalis contendebat, sequitur. Videlicet, in signum Eutychianę hæreseos Azymum introductum. Vnde ille iure ait. *Satis constat Azymum panem, & vinum sine aqua ab Armenis offerri cœpisse in signum diuisionis à Catholica Ecclesia, & in symbolum hæresis Eutychianæ.* Optime concluderet hoc argumentum, si verum esset decretum. At Decretum verum non fuit, quo ad illam partem fermenti, sed tantùm, quo ad partem aquæ. Quod si probo ruit argumentum. Probo autem sic. Primò: Ante illud Conciliabulum in Altari sacrificabatur Azymo, vti ostendimus, igitur ille Panis fermentatus est fictus. Secundò Demetrius Cyzicenus citatus apud Patrem Combeffis, & adductus hoc loco ab Eminentissimo Bona ait; *Veteres Doctores Sanctum Gregorium Martyrem, Magnum Armeniæ Episcopum Illuminatorem oblationem huiusmodi, sine fermento, & Calicem sine aqua ijs tradidisse calumniantur.* Vbi Azymus coniungitur cum vino solo, ac puro, non autem de nouo ponitur Azymus à Conciliabulo, cum antea esset usitatus, nam ideo asumptus fuerat, quod Christus in eo consecerat, ut ibidem exprimitur: *Quia in-*

Demetr. Combeff. Bona.

quiunt; *quem Christus panem Discipulis tribuit in mystica Cœna is Azymus erat, & Calix sine aqua.* Semper retinetur Azymus, & supponitur in Altari. Tertiò ipsimet Armeni Eutychiani Vartanus, Stephanus Sianensis, Gregorius Datreuensis fatentur apud Galanum To. 2. p. 2. controuer. quæst. 4. de Sacr. Euchar. *Sese vna cùm Latinis in pane Azymo sacrificare vt significent Christi Corpus sine corruptione conceptum: quæ corruptio per fermentatum denotatur, & propter sinceritatem Fidelium, quæ ad vsum huius Sacramenti requiritur, iuxta illud Corinth. c. 5. Itaque Epulemur non in fermento malitiæ, & nequitiæ: sed in Azymis sinceritatis, & veritatis.* Non sacrificabant igitur in fermento, cùm adductæ rationes fermentum prorsus auertant. Quartò Gregorius VII. in sua illa Epistola prima lib. 8. satis significat Armenos, semper in Azymo confecisse, iuxta ritum Ecclesiæ Romanæ ductum à Christo, & Apostolis, quemadmodum superius uidimus. Cui adiungimus Decretum Eugenij 4. in Concilio Florentino, in quo Armenis præcipitur, ut in Calicis consecratione miscendo aquam uino Ecclesiæ conformentur. Quintò Galanus Tomo 2. p. 2. controuersiarum q. 4. §. 1. ita de Armenis loquitur: *Armeni omnes summo consensu cum vniuersali Ecclesia sentiunt: qui etiam in hoc Sacramento conficiendo vtuntur laudabilius pane Azymo iuxta ritum Occidentalis Ecclesiæ, propterea quod Christus illud instituit die Azymorum.* Nec excipias loqui eum de tempore præsenti; nam illa ratio institutionis Christi in Azymo perpetuitatem inducit, & ad omne tempus extenditur. Sextò ac principaliter, quia in Synodo Trullana Patres referentes Armenorum errorem in Sacrificio Altaris commissum, eos-

Galan.

Greg. VII.

Eugen. IV.

Galan.

Syn. Trull.

que ob illum damnantes solùm meminerunt istius, de quo agimus, adhibendi vinum purum sine aqua, nulla de Azymo facta mentione. Verba Canonis sunt. *Ad nostram cognitionem peruenit, quod in Armenorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes.* Is est 31. & producunt occasionem errandi, scilicet locum quemdam Chrysostomi male intellectum, quem ibi exponunt, *orthodoxo*, vt aiunt, *sensu*. Si ergo tam subtiliter ista exquisierunt Patres, & nihil aduersus Azymum, aut protulerunt, aut decreuerunt, argumento id est, nihil in eo ab Armenis peccatum. Peccatum autem esset, si ex fermentato innocuo, & solemni Pane ad Azymum ob hæresim Eutychianam noxium, & propter nouitatem insolentē deflexissent. Tacitum ne id ferrent Patres, qui fermentato de Auctoris sententia vtebantur? De se quisque æstimet eos Lector, & iudicet. Mutabant Armeni consuetudinem Ecclesiæ consecrantis in fermentato orthodoxè, ac piè in vsum Azymi superstitiosè, ac impiè, ad profitendam hæresim Eutychianam, & ferebant hoc Patres Trullani, & de solo vino conquerebantur, quòd ei aqua nō admiscebatur ad eiusdem professionem erroris. Equis hoc credat? mihi nemo persuaserit. At Patres hoc latuit? nempè illos, quos non fugit aquæ subtractio, nec ratio subtrahendi sumpta ex Chrysostomi testimonio? verùm dissimularunt, quòd Panis Azymus erat idonea materia Eucharistiæ, quod ait Auctor. Quid? quod etiam vinū purum sine aqua erat idonea materia Eucharistiæ? Nec ex Euangelio constat eam vino admixtā fuisse,

cum

cum de pane constet Azymum eum extitisse, ac in eo Christum consecrasse? Nec euadet, qui dicet nulla Ecclesiastica regula alterutrum panem interdictum; quia hic non agimus de regula, aut permittente, aut prohibente illam materiam, sed de impia hereseos per illum panem professione. Introducebant enim eum Armeni, secundum Authorem Eminentissimum, ad hæresim Eutychianam profitendam, & Azymum eius signum, & symbolum esse volebant. Hoc certè nomine ferri non poterat, eratque prorsus detestandus, & abolendus; regula fortiori, hoc est Fidei Catholicæ prohibente. Nimis planè supini erant illi Patres, si ignorabant errorem: parum Religiosi, si tolerabant. Ex his manifestè constat Azymi panis innocentia, & ab omni suspicione liberatur. Catholicus quippe omnino, & Christianus est, ac fuit, vt pote à Christo Domino, quemadmodum Doctores, & scriptores etiam contrarij affirmant, institutus, vt esset conuenientior materia consecrationis, non vt fermentatus excludatur, cùm sit verus panis ab Altari, sed vt Azymus, tamquam aptior, & exemplo Christi commendatior eligatur.

Venio ad Ebionitas. Antiquissimos eos fuisse tradunt Ecclesiastici Scriptores. Ex quibus Ignatius Ebionem post Simonem Magnum primum hæresiarcham ponit: idque animaduertit Baronius, & ex eo Spondanus anno Christi 34. Eorum multiplex hæresis ex varijs centonibus contexta, vno, & altero assuto panno, veris falso interdum mixtis, vti refert Epiphanius hæresi 30. nosque alibi diximus. Quòd at- *Epiphan.*

tinet ad Panem Eucharisticum confecisse eos in Azymo, constat ex loco Epiphanij sæpè adducto, & nemo, opinor, negat; Christiano, ne, an hæretico ritu? quæritur. Communis sententia est Ebionæos seruasse legalia, ac ex ea opinione sequi in Azymo confecisse. Verùm id non tradit Ephiphanius, qui ad imitationem Sanctorum eum ritum confert. Et *Abul.* Abulensis vir doctissimus Nazarænis, non Ebionæis, eum errorem attribuit, in Defensorio. c. 10. Nihilominus cũ Philastrius, & Augustinus eam obseruationem *Philastr. August.* legalium Ebionæis imputent, eosque sequantur Prateolus, Castro, Guido, Gualterius, Salelles, & quotquot catalogos hæreticorum texuerunt, fatendum est Ebioneos in ea prorsus hæresi fuisse: quam ijs etiam attribunt illi Doctores scholastici, de quibus suprà memorauimus, qui tenent Ecclesiam Latinam aliquandiu in fermentato propter Ebionitarum hæresim euitandam celebrasse. Itaque non audeo contrà sentire. Sed inde existit difficultas non parua. Si Ebionæi ea de causa vsurpabant Azymum, quomodo stat sententia Epiphanij docentis eos ad imitationem Sanctorum in Azymo confecisse? Respondeo eos ob vtramque rationem celebrasse in Azymo, tũ vt seruarent legem veterem, tum vt ritum Christianum obseruarent. Initio igitur Ecclesiæ, cùm viderent Christianos vsurpare Azymum in Altari fidentiùs eodem ritu vsi fuerunt, & in eo imitari illos voluerunt. Noluerunt autem in Calice, vbi solam a- *Epiphan.* quam recipiebant, sicuti ait Epiphanius, quoniam nullum de vino puro, vel mixto præceptum lex tulerat,

rat. Imitabantur ergo Christianos, vbi lex præcipiebat, non autem vbi lex deficiebat. Quamuis autem in mente sua Ebionæi errarent putantes legem Moysi esse seruandam, & in eo errando peccarent, tamen in re, & ritu minime errabant adhibendo Azymum, ad imitationem Chistianorum, atque eo facto demonstrarunt Christianam Ecclesiam eum ritum obseruasse. Quod si velimus tenere sententiam Scholasticorum aliquando Ecclesiam consecrasse in fermentato, possumus dicere Ebionæos postea illum suum de necessitate seruandi Legalia errorem Christianis imposuisse: hos verò ne viderentur consentire, mutare consuetudinem, & fermentatum adhibere voluisse; vt omnem accusandi occasionem Ebionæis adimerent, & vlteriùs edocerent vtrumque Panem idoneam Eucharistiæ materiam esse, idque tandiu obseruasse donec illud periculum suspicionis desijt hæresi illa, vel extincta, vel compressa. Non est igitur probandum quod ait eruditissimus Cardinalis. c. 23. §. 5. Epiphanium notasse illos Ebioneos, quòd vtramque materiam Sacramenti peruerterent. Non enim peruertebant Panem Azymum, qui erat conuenientior, & vsitatior, sed vsum illius errori tribuebant: atque adeo non damnabant Azymum, sed solùm illius vsum ad professionem legis Iudaicæ detorquebant. Nec verò Epiphanius notã ijs erroris infert, quod ait Auctor Doctissimus, in adhibendo Azymo, cum dicat *ad imitationẽ Sanctorũ*. In quo enĩ imitabãtur Sanctos id ab Epiphanio erroris notari nõ poterat; nec inter cæteros illorũ errores hunc recését, quòd in Sacri- *Cardin. Bona.*

ficio

ficio Pane Azymo vterentur, sed, quod in aqua sola
Baron. Calicem consecrarent, sicut animaduertunt Baro-
Spondan. nius, & Spondanus ad annum Christi 35., & 52., &
Vasq. Vasquez dis. 172. & quotquot locum Epiphanij, vel tractarunt, vel obiter tetigerunt. Faciebant igitur in Azymo, quemadmodum postea Armeni fecerunt,
Niceph. de quibus Nicephorus lib. 18. historiarum c. 53. quē laudant duo Magni Societatis Iesu Theologi Suarez de Eucharistia di 44. & Henriquez eius Magister lib.
Suar. Henriq. 8. de Eucharistia. Quorum Suarez sic ait: *Nicephorus*
Suar. *refert eos consecrare in Azymo: non tamen dicit eos hoc facere ea Fide, vel opinione, quia putent hoc esse simpliciter necessarium: sed eo modo quo facit Ecclesia Latina*. Vnde fit idonea argumentatio. Sicuti Armeni, cum postea ab Ecclesia deuiarunt in solo Calice vino tantum infuso errarunt, ita & Ebionæi in Calice tantùm sola aqua infusa, grauiùs tamen peccarunt. Confirmatur eiusdem Epiphanij testimonio, quod est irrefragabile. Hę-
Tatian. resi 46. loquens de Tatiano explicat locum de Ebionitis. Attendat Lector. *Misterijs autem similiter vsus est ad imitationem Sanctæ Ecclesiæ, verùm aqua sola vsus est in iijsdem misterijs*. Næ hic Epifanius voluit hanc hæresim, hæresi Ebionitarum comparare, & comparando exponere, quomodo essent intelligenda, quæ antè de Ebionæis dixerat, nam & vbique de mysterijs, videlicet Eucharistia, loquitur, & narrat vtrosque in Pane Azymo ad imitationem Sanctorum, & Sanctæ Ecclesiæ consecrasse, sed in Calice præter Ecclesiam, & contra Sanctos Patres in aqua solum confecisse, vt nemo de intelligentia primi de Ebionæis testimonij
posset

possent ambigere. Adijcio momentum alio loco de hæresi Encratitarum apud eumdem Epiphanium hæresi. 47 *Vtuntur & ipsi mysterijs per aquam*. An non vides, Lector eamdem hic hæresim contineri? eamque ad aquam solam reduci? De Pane in mysterijs nihil omnino dicitur, quòd innoxius erat, & idoneus, & secundum ritum Ecclesiæ Catholicæ. Sola exprimitur aqua, quia ea sola sacrificium peruertebat. Quorsum ergo illa intelligentia loci Epiphanij? Nullo modo trahit potest ad significandum, Panem Azymum vsurpatum fuisse in signum, & symbolum hæreseos, qua ratione hæresim saperet, & à Christi institutione abhorreret. Apparet itaque ex horum collatione locorum Epiphanium Consecrationem Eucharistiæ in Azymo approbasse, & ad Sanctorum Ecclesiæ Catholicæ imitationẽ cõtulisse, & solã peruersionẽ Calicis per solã aquam infusam improbasse, quare & sua testimonio Fides, & suus Azymo candor, honosque restitutus. Encratit. Epiphan.

Caput XIV.

Nouum & proprium ab Auctore inuentum argumentum proponitur, & soluitur, & nonnulla animaduertuntur.

SOlutis omnibus, & quę opposita erant, & quæ opponi poterant, argumentis ab auctoritate, ab exemplis, à coniecturis petitis, superest vnum, me Auctore, difficilius, de quo alij tacuerunt. Fecit

quippe mea tum assidua, tum accurata lectio, vt inciderem in quendam locum rem Fermentati continentem, qui tam videtur expressus, vt quibus eum ostendi ij mihi consulerent, ne proderem, imo prorsus supprimerem, quòd putarent eo Fermentati vsum & ritum perspicuè probari. Non esse armandum hostem proprijs armis, & occultanda esse, ne ijs vterentur. Mihi tamen, qui ingenuus sum, & liber aliter uisum, Veritatem amo, eique iniuriam fieri puto, si occultetur. Lux est, quæ per se splendet, & lucet. Posse alijs innotescere, quod mihi innotuit. Callidum mihi non profuturum consilium. Doctissimos esse Aduersarios, qui si eum post meam istam lucubrationē inuenissent eundē mihi obiecturos, meque ad nouam responsionem coacturos. Itaque renouandam esse questionem. Præstare præuenire uulnus, quàm medicari, occupare obiectum, & tutius esse, & honestius. Maioris uirtutis, & gloriæ esse armare hostem, & exarmare. His persuasus consilium à me capere uolui, & locum producere. Ne te turbet lector. Esto bono animo. In tuto est ueritas. Nihil nocebit. Igitur in lib. 10. Vitas Patrum, cuius Auctor est Ioannes Moschus c. 196. hiusmodi narratio habetur.

Ioann. Moschus.

In Prouincia Apamiensi secunda ex oppido, quod dicitur Thorax, ager est ab Vrbe quasi quadraginta milliaribus distans, qui Gonagus dicitur; in hoc, siue in eius finibus pueri pascebant pecora, & vt solet pueris contingere, puerili consuetudine voluerunt ludere. Cumque luderent, dixerunt ad inuicem: Venite celebremus Missam, & offeramus Sacrificium, & communicemus, sicuti semper in Sancta Ecclesia presbyter facit. Quod cùm placuisset omnibus, constituunt ex eis vnum in ordine presbyteri,

duos-

duosque alios pueros in Ministrorum officio, veniuntque ad saxum quodam (erant enim in planitie) ac supra saxum in modum Altaris apponunt Panem, & vas testeum cum vino: assistuntque, vnus quidem coram Altari, qui fungebatur officio Prebyteri, medius: duo vero alij hinc, atque hinc, veluti Ministri, & ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat, illi verò fasciolis quæ ferebantur, pro flabellis vtentes, auram faciebant. Qui verò Presbyteri fungebatur officio, ideò sanctæ oblationis verba sciebat, quia consuetudo fuit in Ecclesia, vt pueri in Missis ante Sacrarium assisterent, primiquè post Clericos communicarent Sanctis Christi Dei nostri, venerandisque mysterijs. Quoniam verò quibusdam in locis alta voce consueuerunt Presbyteri, Sancti Sacrificij Orationes pronunciare, pueri vt propiùs astantes sæpius eas audiendo didicerant.

Cum igitur omnia secundùm Ecclesiasticam consuetudinem fecissent, priusquam Panes frangerent, ac communicarent, ignis cælitus delapsus, quæ proposita erant consumpsit omnia, saxumque totum combussit, ita vt nihil omnino neque saxi, neque eorum quæ fuerant superposita, relinqueretur.

Non oportet locum exponere: satis ipse per se loquitur. Summa est: illi pueri imitabantur Sacerdotes consecrantes Eucharistiam in Altari; fecerũt quod viderãt fieri à Sacerdotibus, confecerũt autẽ in Pane fermentato, nam Azymus vnde illis esset? Igitur viderãt in fermentato à Sacerdotibus confici in Altari.

Respondeo ad Argumentum.

Primùm dato istos pueros in fermẽtato cõsecrasse, quia viderant Sacerdotes illius Regionis consecrantes in fermentato, nihil sequitur contra nostram Doctrinam, quæ versatur intra Ecclesiam Occidentalẽ, cum illa Regio esset Orientalis, vnde argumentũ non attingit scopum, qui est Ecclesia Latina, illud autem

versatur extra Latinam Ecclesiam. Verùm quia nos assumpsimus etiam Ecclesiam Græcam ijs temporibus in Azymo confecisse:

Respondeo secundò argumentum non probare, quia nimis probat, nam illi pueri erant opiliones, & bubulci, & in Agris versabantur, quos non est credibile Panem triticeum manducare, sed ex hordeo & milio confectũ. Cum igitur in eo conficerent, sequitur ex vi argumẽti etiã vidisse Sacerdotes in eo conficientes. Cum igitur falsum hoc sit, inepta est argumẽtatio.

Respondeo tertiò, illos pueros intendisse facere quod Sacerdotes faciebant consecrando in quocunque Pane, non autem in certo genere Panis: putabant enim ad id sufficere quemcunque Panem, etiam illũ quo vtebantur, qui non videtur esse triticeus, ex quo non deducitur eos vidisse Sacerdotes in fermentato consecrantes.

Respondeo quartò, pueros non seruasse ritum consecrandi Calicem more Sacerdotum, quia solum vinum sine aqua posuerunt in testa, vti innuit historia non est autem credendum Sacerdotes vinum purum sine vlla aquæ admixtione consecrasse, ergo sicut non seruabant morem in materia Calicis, nec itẽ seruabant in materia hostiæ. Faciebant ergo pueri more puerili attendentes solum ponere Panem, non autem qualitatem talis, vel talis Panis. Poterant igitur Sacerdotes consecrare in Pane Azymo in Altari, & tamen pueri non habentes Azymum poterant vti Pane fermentato & hordeaceo imitantes cibum, non vero qualitatem cibi, & pro Azymo triticeo adhibere fermentatum & hordeaceum.

Res-

Respondeo vltimò. Narrationem tantùm continere Panem & vinum, non autem talem Panem, nec tale vinum. Cur igitur fermentatum ponendum? Liberè sumitur, sciebant pueri consecrari Panem, nec oportebat distinguere qualis esset. Vnde quem Panem præmanibus haberent consecrare volebãt. Addo illos pueros potuisse habere in agro aliquam quantitatem farinæ, & illam subditò adhibito igni in Panẽ subcinericium formare, si vellent Azymum imitari. Tot modis soluitur argumentum, quod videbatur habere speciem difficultatis. Illud omnino constat quoquo se modo habeat, nullatenus contra Latinam Traditionem militare; qui est nostræ scopus quæstionis.

Post solutionem omnium argumentorum oportet obseruare cum triplici Auctorum genere disputari: Græcis, Hæreticis, & Catholicis; in quo nonnulla animaduertiones ponendæ.

Prima. Græcos, & Hæreticos in eo conuenire, quòd Scholasticorum auctoritatem negligant, eorumque dicta eleuent, & irrideant quasi vanas argutias, & inanes subtilitates. Patet de Græcis, qui in Concilio Florentino sæpe Ioanni Dominicano Theologo Pontificio, viro in omni literarum genere excellenti Scholasticam argumentandi rationem uitio tribuerunt. De Hæreticis constat; nam Caluinus, & Kemnitius Lutheranus Theologos Concilij Tridentini *Sophistas* per contemptum appellare solent, quasi sacras Diuinæ Doctrinę ueritates sophisticis cauillationibus inuoluerent. Propterea nos aduersus eos Patrũ

testimonijs vsi sumus. Et Scholasticos tantùm quasi subsidiarios, & auxiliares adhibuimus.

Secunda. Græcos Patribus Latinis minus credere, & suis solum Græcis fidem habere. Liquet ex Concilio Florentino, in quo disputantes de Processione Spiritu Sancti à Filio, Latinorum Patrum auctoritatem negligentes ad Patres Græcos prouocarunt, & uel unius Basilij testimonio, de quo multum, ac diu disceptatum credere maluerunt. Id circò ijs obiecimus sententias Originis, Nazianzeni, Chrysostomi, Theodoreti, Damasceni, & aliorum recentioris memoriæ scriptorum, Gennadij, & Arcudij, ut eosdem suorum testimonijs conuinceremus.

Tertia. Hæreticos non moueri Pontificijs Decretalibus, neque Ecclesiasticis Traditionibus, solere Scripturas, & Patres poscere, eo consilio ut si quem locum aut Scripturæ, aut antiqui Patris afferamus, ij interpretando eludant, & in suum sensum detorqueant, vel testimonium testimonio refutent, & adamantem adamante fragant, quod in Traditionibus, & decretis Pontificum facere non possunt; sunt enim callidi, & astuti, & cum videât aliquas veritates Doctrinæ Catholicæ perspicuè non contineri in Sacris Scripturis, neque Patres de ijsdem clarè & manifestè scripsisse, ne illis credant, obijciunt non inueniri expresè, nec in Scripturis, nec in antiquis Doctoribus. Itaque & traditiones Ecclesiasticas, & decreta Pontificia non curant. Vnde perperam faciunt Catholici, qui oblatis, & productis Pontificijs Decretis, & Traditionibus Ecclesiæ ijs credere nolunt, & antiquos Patres in testimo-

monium postulant; cùm maior sit authoritas Ecclesiæ tradentis, & Pontificis decernentis, quàm illius, quem postulant, Sancti Patris authoritas. Nos igitur Caluino, & Centuriatoribus, alijsque Hæreticis fermentatum Azymo præferentibus obiecimus viginti, & eo amplius Patres, & inter hos Philonem, Dionysium, Tertullianum, Cyprianum, Gaudentium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium Magnum, vt crederent horum sententijs: fatentur quippe veram Ecclesiam vsque ad Gregorium Magnum inuiolatam, & illibatam extitisse, qua item ratione cum ijs consultò disputauimus in Tomo nostro, quem *Assertor Romanus*, siue, *Medulla Historiæ Ecclesiasticæ* inscripsimus. Numeratis tantum ijs Pontificibus, & Patribus, qui ante ætatem Magni Gregorij floruerunt.

Quarta. Catholicos quibuscũ disputamus; omnes solere recipere, primùm Scripturas, deinde Pontifices, & Concilia, & Patres, Ecclesiasticos Scriptores, Doctores Scholasticos, ac in primis Traditiones Ecclesiæ. Itaque ijs omnibus vsi sumus in disputando: non quòd decreta Pontificum, & Traditiones non sufficerent ad institutum, sed vt ostenderemus illa decreta & traditiones cum Doctrina Patrum, & Scholasticorum congruere, & vt nihil à viris Doctissimis desiderari posset. Qui sacras litteras amat, habet Scripturas; qui Pontifices decreta; qui Concilia, Canones; qui Ecclesiam, Traditionem; qui Scholam, Doctores Scholasticos: Alijs do quod satis sit: Catholicis quod satis, superque fuerit.

Quinta. omnes tum Græcos, tum Latinos in eo consentire, quòd vterque Panis, & Azymus, & Fermentatus est aptus ad consecrationem, & materia idonea Eucharistiæ, quemadmodum definitum est in Concilio Florentino. In eo dissentire, quòd Græci (non loquor de Schismaticis) præferunt fermentatum Azymo, & in eo conficiunt. Latini vero contrà Azymum fermentato anteponunt, & in eo consecrant, & ab initio Ecclesiæ consecrarunt; quam traditionem Leo Nonus, Gregorius Septimus, Innocentius Tertius asseruerunt, & nos tanta mole authoritatis hactenus stabiliuimus. Minori certè oppressus Abbas Nicetas Pectoratus libellum suum aduersus Azymum pro fermentato scriptum Costantinopoli palàm damnauit, & combussit, retractatis quæ ibi exarauerat aduersus Latinos. Nec obijcias hæreses alias in eo contineri. Probè enim scio tres errores ibi scriptos fuisse: circa Azymum, circa ieiunium Sabbati, circa cælibatum Presbyterorum, sed præcipuus error fuit circa Azymum vituperatum: non tamen inde sequitur retractasse Nicetam solos istos errores; nam etiam obiter opinionem contra ritum Azymi pro fermentato retractauit.

Sexta. Non solos Auctores à me supra citatos, sed etiam magnum aduersarium Nicetam Pectoratum agnouisse Latinam traditionem in Azymo consecrandi à Christo, & Apostolis deductam; nam ipsemet Nicetas in libello proximè citato expressè ponit, Latinos profiteri illum ritum conficiendi in Azymo à Christo, & Apostolis accepisse. Non igitur incepit

tem-

tempore illo controuersiæ inter Leonem Nonum, & Michaelem illa celebratio Latinorum in Azymo, sed à principio Ecclesiæ inualuerat. Vnde hunc Auctorem Nicetam annumerare possumus ijs, qui affirmant Latinam Ecclesiam ab initio ritum Azymi obseruasse.

Septima, De Ritu conficiendi Græcos ita sentire. Schismaticos cum errore eum condemnando; Catholicos citra errorem, tantùm præferendo Azymum fermentato, minimè condemnando Azymi ritum. Hæreticos autem: qui Eucharistiam admittunt cum Luthero in Azymo quidem conficere, & in sua impanatione vtrumque, & substantiam Azymi, & Corpus Christi retinere. Caluinum verò, & sequaces nullam habere Eucharistiam, ac proinde fermentatum admittere, eoque ad suam saginam abuti. Catholicos omnes tum Patres, tum Scriptores Ecclesiasticos, tum doctores Scholasticos Azymi traditionem asserere à Christo Domino desumptam: cum hac tamen differentia, quòd nonnulli existimant eam fuisse aliquandiù interruptam propter vitandam hæresim Ebionitarum Iudaizantium, quam opinionem superius posuimus, & reiecimus. Alij tamen affirmant ante illam interruptionem, & post eam semper Latinam Ecclesiam ritum Azymi tenuisse. Sunt qui cum Caluino putant Latinam Ecclesiam vsque ad tempora Alexandri Papæ fermentatum vsurpasse, sed falsò; de quo præstat audire eximium Theologum Societatis Iesù Ægidium Coninch Tomo primo de Sacramentis q. 74. a. 4. dubio 2. num. 93. *Ægyd. Coninch.*

Qua in re notandum

dum est impudens mendacium Caluini, qui lib. 4. instit. c. 43. ait constare ex historijs totam Ecclesiam imitio vsam pane fermentato vsque ad tempora Alexandri Papæ. Vbi obseruandum ne Caluinum quidem ausum fuisse negare Ecclesiam sequentibus deinceps ab Alexandro primo ad Leonem nonum temporibus, hoc est nouem fermè seculis, ritum Azymi in tota Ecclesia viguisse.

Octaua. Inspiciendum quo tempore controuersiæ de aliquo mysterio, aut ritu excitari cæptæ sunt: & quid tum, & deinceps authores scripserint: nam antequam orirentur non erat occasio disputandi, nec mentionem de ijs faciendi, vnde multæ veritates erāt in occulto, & sub silentio: quem admodum in processione Spiritus Sancti ex Filio, Purgatorio, Indulgentijs, Communione sub vtraque specie, Iustificatione, Sacramento Extremæ Vnctionis, & alijs similibus quæstionibus accidisse videmus: quæ ante quā impugnarentur ab Hæreticis non erant definitæ, neque propalatæ. Qua propter dixit Christus: *Necesse est vt veniant scandala*: & Paulus: *Oportet hæreses esse*. Igitur ex quo Græci Authore Michaele Cerulario hanc hanc controuersiam excitarunt, Latini Leone IX. Authore vnanimi consensu censuerunt, & declararunt Ritum Azymi commendatum fuisse exemplo Christi, ab Apostolis traditum Ecclesiæ, & ab ea acceptum, & celebratum, & in traditionem deductum, tanquam congruentiorem, & conuenientiorem. Id Leo IX. id Gregorius VII. id Innocentius III. Pontifices. Id Humbertus: id Fridericus (postea Stephanus Papa X.) id Bonauentura: id Hugo à S. Caro: id Baronius: id

Bel-

Bellarminus; id Ioannes de Lugo Cardinales statuerunt. Quibus accedunt Anselmus, Rupertus, Algerus, Hugo Etherianus, Petrus Cellensis, Tostatus, Castro, Turrianus, Alensis, S. Thomas, Scotus, Richardus, Durandus, Gabriel, Legionensis, Lindanus, Claudius Xainthes, Maldonatus, Suarez, Vasquez, Henriquez, Layman, Valentia, Ægydius Coninch, Amicus, & quotquot de controuersijs Ecclesiasticis scripserunt Authores. Imo & qui de Ritibus, & Cæremonijs Missæ tractarunt eandem doctrinam tradiderunt, inter quos est *Gemma Animæ*: quem librũ Eminentissimus, & Doctissimus Cardinalis in hoc suo Rerum Liturgicarum opere sæpe laudat, & commendat, & Sacerdotale Romanum, quod antea allegaui. Græcorum Gennadius, & Arcudius quos suis antea locis citauimus. Vnus inuentus est Iacobus Syrmondus, qui voluit ab omnibus discrepare: cui maluit Eruditissimus Cardinalis Bona adhærere. Contra eorum sententiam scribere decreui: nec dubito plerosque scripturos. Certè hoc ipso anno quo hæc opinio in lucem prodijt, duo insignes Theologi ambo publici huius Patauinæ Academiæ Theologiæ Lectores eam palàm impugnarunt. Quorum vnus præclarus Thomista P. Michael Archangelus Riuetta Casalensis scholasticè hanc quæstionem tractare voluit: & Angelici Doctoris, & Scholæ Thomisticæ auctoritatem, vt aiebat, defendere. Alter insignis Scotista Fr. Felix Rotundus à Monte Leone duas publicas è Cathedra Lectiones pro traditione Ritus Azymi in Romana Ecclesia, magno etiam Græcorum au-

ditorum concursu habuit ; in quibus fundamenta Eminentissimi Cardinalis Bona, cuius opus diligenter perlegerat pro Fermentato adducta, eius producto nomine, confutauit. Neuter tamen quicquam typis mandare voluit, quòd ambo scirent id à me opus esse occupatum.

Caput XV.

Eadem veritas Azymi Eucharistici ex Figuris veteris Testamenti probatur.

CVm tota lex vetus vmbra fuerit Nouæ, & omnia illius sacra, & ceremoniæ ; imò & gesta,& euenta etiam historica figuram præse gesserint mysteriorum, ac rerum in Noua lege futurarum ; adeo vt Paulus dixerit *Omnia* Hebræis *in figura contigisse* quemmadmodum Doctores Catholici, ac imprimis eorum Coryphæus Augustinus contra Manichæos sæpe docuit, necesse est vt Eucharistiæ Sacramentum, eiusque materia in veteri Lege, atque adeo Azymus Eucharisticus proprias figuras habuerit,ex quibus cuiusmodi futurum esset figuratum colligeretur. Erit hoc argumentum tum probabile, tum iucundum, tum vtile lectoribus Doctrinæ mysticæ studiosis. Neque vero illud à me fuit aut ambitiosè excogitatum, aut temerè productum, cum eo vsus fuerit, qui primus, & præcipuus huius controuersiæ scriptor extitit, Humbertus ipse Cardinalis in sua illa celebri disputatione cum Aduersario Constã-

tino-

tinopolitano in Dialogismum redacta; quam Baronius è Vaticana Bibliotheca depromptam in Appendice ad Tomum XI. suorum Annalium repræsentauit. Imo & ipse Constantinopolitani nomine appellatus, siue is Michael Cerularius foret, siue Nicetas Pectoratus idem à Figura argumentum contra Romanum produxit; vt posteà dicemus. Baron.

Primùm. Fermentum non potuit esse Figura Eucharistiæ: cum in Lege ab Altari omnino repulsus esset. Itaque Sacris ei prorsus interdictum. Seuero illo præcepto Leuit. 2. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino absque fermento fiat; nec quicquam Fermenti, ac mellis adolebitur in Sacrificio Domini.* Quemadmodum Glossa ordinaria & Interlinealis cum Lyra ibi, & Tostatus cum Caietano, & Cornelio animaduertunt, qui causas eius relegationis adducunt, & exponunt. Rursum in eodem Leuitico c. 10. Deus: *Tollite sacrificium quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento iuxta Altare, quia Sanctum Sanctorum est.* Oblatio Domini erat *ex simila, & flore farinæ*, inquit, eo loco Caietanus, nempe *sine Fermento* ait Glossa. Illius residuum vetat Deus Fermento commisceri. *Infermentatas* illas reliquias ait ex Hebreo Caietanus, iubet manducare Dominus. Iuxta Altare: *Quia Sanctum Sanctorum est.* Exposuit Glossa Interlinealis *Corpus Christi*. Ceu à Fermento alienum; quia illud residuum oblationis *Debebat à Sacerdotibus comedi*, inquit, Lyra, idcirco Azymus, non Fermentatus. Hoc argumento vsi sunt nostri, qui pro Ritu Azymi aduersus Græcos scripserunt. Exacto Fermento, ac expulso Fermentato transeo ad Figuras in Azymo Pane repræsētatas. Caietan. Glossa. Lyra.

Prima fuit Panis Azymus præceptus Exod. 12. qui comedebatur ſimul cum Agno aſso ante exitum populi Hebræorum de Ægypto. Eum enim ſignificaſſe Panem Euchariſticum Gloſsæ, ac Lyra, & communiter Interpretes tradunt; & Humbertus ſtatuit aduerſus Pectoratum; ac imprimis Abulenſis in ſuo Defenſorio p. 2. & patet ex Figurato; cum Chriſtus intra illos ſeptem dies in Azymo confecerit: quæ Latinorum omnium, & Græcorum antiquorum concors ſententia eſt, vti ſuperius demonſtrauimus.

Lyra. *Humb.* *Abul.*

Secunda. Panis ille reliquus ex oblatione Domini Leuit. c. 10. de quo ibi *Tollite Sacrificium quod remãſit de oblatione Domini; & comedite illud abſque fermento iuxta Altare: quia Sanctum Sanctorum eſt.* Erat quippe *Sacrificium: comedebatur iuxta Altare à Sacerdotibus*: vt ait Gloſsa, quorum propria eſt Euchariſtia; hoc autem reſiduum erat de oblatione Domini, quæ ex ſimila conficiebatur pura ſine fermento. Figurari eo Euchariſtiam tradit Hugo Cardinalis in eum locum *Cibus*, inquit, *Sanctus in loco Sancto, ſicut hodie Corpus Chriſti in Eccleſia ſumitur.*

Gloſſa. *Hugo.*

Tertia Manna; & quidem celeberrima, & à Chriſto Domino vſurpata, & tradita Ioan. 6. & ab omnibus Sacris Interpretibus tum Exordi tum Euangelij celebrata. Et quanquam Manna Panis non eſset, formabatur, & manducabatur inſtar Panis, vt obſeruat Abulenſis hic in Exod. q. 2. *Poterat vocari Manna Panis quia formabatur*, & mox ita *Fiebãt ex eo tortulæ vt patet: Deuter 11. cũ dicitur: Circuſtãbat Populus, & colligens illud frangebat mola, ſiue terebat mortario coquens in olla, & faciens ex*

eo tortulas. quod etiam obseruat Cornelius eodem Exodi loco versu 4. Qui versu 3. in Manna qui Panis cælestis dicitur Eucharistiæ Figuram agnoscit. *Panis* hic Manna vocatur, *Pluam Panes de Cælo*, vt figuret illum *Panem viuum qui de Cælo descendit*, sicut pluuia, sicut ros, qui successit Azymo Pani, præcessit Eucharistiam figuratam. Eo maiori mysterio, quòd Manna, sicuti obseruant Hebræi, cum quibus sétiunt Vatablus Lyra, Caietanus, & Oleaster decidebat de Cælo inuolutus teguméto roris, & sub eo latebat, donec intendente se Solis lumine colliquesceret; quod rem continet Eucharistię, vbi Corpus Christi verum, tegitur velo accidentium, & sub eo absconditur, & occultatur. *Operimentum roris* vocat Chaldea versio. Operimentum nos Accidentium appellamus. Lubet hic audire optimum Interpretem Cornelium à Lapide loco Exodi citato: *Ex hac sententia pulchrã licet colligere allegoriã de Eucharistia: sicut enĩ ros tegebat Manna, ita species Panis tegit Corpus Christi, & sicut rore euanescente apparebat Manna ita specibus Panis in Eucharistia per Fidem abstractis mens Fidelis ascendit ad videndum, & gustandum ipsum Corpus Christi* quod autem ait textus, inuento Manna exclamasse populum *Manhu? Manhu? Quid est hoc?* Mirabile Sacramentum, imo quod est compendium mirabilium significat: *Memoriam* quippe illud *fecit Dominus mirabilium suorum* Interquæ miracula illud eminet, quod S. Thomas Doctor Angelicus, cui Panis hic Angelorum maxime notus esse debuit, adnotauit *Sumit vnus sumunt mille: tantum isti quantum ille*; quod Manna item adumbrauit, vt est in capite prædicto: *Nec qui plus collegerat*

Cornel.

gerat habuit amplius: nec qui minus parauerat reperit minus. *Vbi* Cornelius à Lapide. *Idem Gomor*, videlicet mensura, *significabat Christum, quem totum, quantus quantus est omnes comedimus in Eucharistia*. Manna igitur Panis instar Azymi, non fermentati manducabatur; sine vlla admistione cum in tortulas fingebatur.

Quarta: illa libamenta Iudic. 13. simul cum Hædo à Manue iussu Angeli supra petram posita, oblata in Sacrificium Domino, qui fecit mirabilia. Hic est typus Eucharistiæ; Nomen Angeli *Admirabilis* vbi Deus *faciens mirabilia*. Libamenta farina conspersa oleo, sine fermento, & liquida: vt ait in eum locum Lyra. Hædus respondens Agno Eucharistico. Petra Altare. Nec obijcias Manue non fuisse Sacerdotem, non enim ille sacrificauit, sed Angelus, imo & in persona

Aug. Angeli Christus, vt ait Augustinus ore Glossæ eo in loco. *Quod stetit Angelus in Altaris flamma magis intelligendus est significasse illum Magni consilij Angelum in forma Serui in homine*. Idque patuit ex eo quòd *Cum ascenderet flamma Altaris in Cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit*; ceu Sacrificium esset qui ante Sacerdos fuerat, transiens de Sacerdote immolante in victimam immolatam, quod proprium est Eucharistiæ. Idem Augustinus prosequitur *non accepturus Sacrificium; sed ipsum Sa-*

Cornel. *crificium futurum*. Perspicuè dixit Cornelius ad hunc locum c. 13. Iud. n. 20. Christus in sacrificio *Eucharistiæ per flammã Charitatis iugiter incruente immolandus, & manducandus consumptis speciebus viuus, & illæsus euanescit, & quasi in Cælum ascendit*.

Quinta. Panes Propositionis. 1. Reg. 21 & antea in

Exod.

Exod. 25. Leuit 24. qui erant Figura Sacramenti Eucharistiæ, quemadmodum in eum locum 1. Reg. 21. docet Glossa ordinaria, & Moralis, & Abulensis ibi q. 18. & Humbertus lib. aduers. calumnias Græcorum. Esse autem eos Azymos constat, & sacris litteris, & Interpretum communi concordia: & animaduertit Abulensis in Defensorio 2. par & Humberti testimonio disput. de Azymo, & Ferment. paulo post princip. *Inuenies*, inquit, *Panes propositionis, quos Azymos fuisse nemo dubitat*. In rem. Figurabant Eucharistiam. Apparet ex signis. Erant in mensa coram Domino, quasi in Altari. Erant sacri, & oppositi Laicis: vt est in textu. *Non habeo Laicos Panes ad manum, sed tantùm panem Sanctum*. Non licebat ijs vesci nisi solis Sacerdotibus. Glossa: *Erant liciti Sacerdotibus tantũ*. Requirebatur ad eos mãducãdos mũditia, sicuti ad Eucharistiam pericipiendam. *Si Mundi sunt Pueri*. Abulensis q. 13. in 1. lib. Reg. c. 21. *In immunditia*, inquit, *existentes non poterant comedere de Sanctificatis: ex hinc apparet quanta confusio debet esse eorum, qui Dominicum Corpus immundi existentes accipiunt. Nam si lex homini existenti in necessitate non permittebat comedere de Pane illo Propositionis, qui nullam differentiam ab alijs Panibus habebat quanto solicitius hoc obseruandum est in Dominico Corpore, vbi non est Panis, nec vinum, sed vera Christi caro: cùm ipse dicat. Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*. Maximè autem requiritur munditia castitatis, quòd comprehendat corporis sanctimoniam, quæ respondeat Sanctitati Corporis Christi in Eucharistia, vnde allegoricè dixit Achimelech: *Si mundi sunt pueri maximè à*

Abul.

Gloss.

Abul.

mulieribus. Quare Glossa Moralis: *Per hoc quod dixit Sacerdos quod ad esũ Panis illius requirebatur mũditia maximè à mulie bus significatũ fuit, quod peccatum carnale impedit maximè perceptionem Euchar stiæ.* Præterea illi *Panes* erant *in mensa* Aurea *ante faciem Domini*: vti notat Abulensis; quæ nota indicat *Gratiam*, qualem nomine ipso profert Eucharistia; cum Facie quippe Domini peccatum nequit consistere. Hinc illi Panes vocabantur Panes Facierum, quemadmodum obseruant Interpretes, & nos postea sequenti capite considerabimus; quia Eucharistia multiplicem gratiam continet; cum omnes gratiæ species includat: imo summa quędam, & compendium gratiarum sit; in omnes se facies gratia vertit, & quocunque influit gratiam spirat, & effundit.

Abul.

Sexta. Panis subcinericius Eliæ oblatus ab Angelo in deserto, & ipse Augustino, siue Authore de Mirabilibus Sacræ Scripturæ teste, ab eodem met Angelo confectus. lib. 3. Reg. 29. Primum patet hanc Panem fuisse ex Azymis, ac sine vllo fermento quando subcinericius erat; & subitaria opera in media Eremo paratus. Deinde Figuratam in eo Eucharistiam multi, & graues Interpretes, & Patres authores sunt. Paschasius Rhatbertus lib. de Corp. & Sang. Domini c. 01. Algerus l. de Sacram. Altaris 2. c. 1. Rupert. l. 2. c. 10. Glosa Moralis hic: *Surge*, inquit, *comede Eucharistiam. Grandis enim tibi restat via: Ipsa est tibi Viaticum in Patriam*: de quo rursum nos cap. sequenti. Hanc sententiam sequitur Cornelius à Lapide commentar. in hunc locum c. 19. lib. 3. Regum vbi ait *Patres ita interpretari*. Et quidem mirabilis illa Cibi virtus quæ

Auctor de Mirabil. sacr. Scrit. apud Aug.
Paschas.
Alger.
Rupert.
Gloss. Mor.
Cornel à Lapide.

Eliã

Eliam ita roborauit, vt & nullius alterius cibi, per dierum 40. spatium indiguerit, & tam longum iter eo solo cibatus confecerit *Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.* Attribuitur huic cibo Eucharistico Fortitudo, quoniam in eo Christus Brachium, & Fortitudo Dei continetur: & illa mensa in qua proponitur, acies quædam est aduersus hostes animi instructa. De qua Dauid *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*. Hoc se præsidio armare voluit Christus ad bellum cum morte ac ministris mortis suscipiẽdum. Alacriter prodiit è Cænaculo, suo refectus, & munitus corpore; hostibus occurrit suis, hymno dicto, ceu. classicũ caneret, & verbo quo antea constituerat Azymum, dicens *Hoc est Corpus meum* aduersus inuadentes vsus *Ego sum* omnes terruit, prostrauit, & *Ceciderunt in terram* Sic initio summouit, & vicit ministros mortis. Sic ipsam demum mortem in Cruce superauit. Vix dum mortui latus lancea transfigitur, cũ erumpit *Sanguis, & aqua*; quod quid aliud quæso fuit quàm ex latere aperto formari Calicem Eucharisticum *ex vino & aqua* compositum; & quidem Ecclesia aquam vino miscere docta est à Deo in hoc symbolo Eucharistiæ, Calice Passionis; quemadmodum Patres, & Interpretes sentiunt. Mansit ergo victor de morte Christus conuersus in Calicem Eucharisticum. Et quasi ei deberet victoriam Pasionem suam Calicem appellauit. Hæ figuræ, ac typi Eucharistiæ in Azymo Pane expressa fuerunt in lege Moysis; in qua Fermento ab Aris

excluso nulla in Pane Fermentato figura esse potuit?

Altiùs repeto. In sacris litteris ante Moysen vna reperitur Eucharistiæ Figura, eaque in Azymo repræsentata. Genes. c. 28. quo in loco Abraham narratur iussisse parari à Sara pro refectione trium hospitũ Angelorum *tria sata similæ ad subcinericios panes*: vt cum vitulo cocto apponerentur accumbentibus.

Hos panes infermentatos, & Azymos esse dubitat nemo, & affirmat Glossa Ordinaria *Azymi sunt Panes, Subcinericij sunt*. Et Abulensis ibi *Mandauit*, inquit, *fieri cito subcinericios Panes: quia isti sine fermentatione citò parari possunt*. Gerere autem typum Eucharistiæ apparet ex eo, quòd dicit Glossa erant sata tria *in vnum Panem Corporis Christi redacta*; & iterum, *Azymi sunt sine fermento malitiæ*. quod sapit Eucharistiam. Rursus *Sunt subcinericij, vt per Pœnitentiam delictorum Spiritus Sancti vapore decocti esca Deo acceptabilis efficiantur*. Locum autem sub arbore, vbi manducauerunt, Crucem significasse, eadem Glossa docet; vt memoriam Crucis, cruentique in ea sacrificij Panes illi typi Eucharistiæ renouarent. *In mei memoriam facietis*.

Glossa Ordin. Abul. Glossa Mor

Præcipuus tamen, & capitalis Typus Eucharistiæ, fuit Oblatio illa Melchisedech, de qua Genes 14. *At verò Melchisedech Rex Salem proferens Panem, & vinum erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei*. Etc. Christum, & Eucharistiã hic contineri docent quicunque hunc locum interpretantur Catholici autores: Hebræis, & Hæreticis tantùm negantibus odio Christi, & Eucharistiæ. Hebræi quippe vt negent Christi Sacerdotium hic significari, & eludant locum Psal. 109. *Sacerdos*

in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et Pauli Hebr. 7. aiunt hanc oblationem ad refectionem Abrahæ, ac commilitonum, non ad sacrificium pertinere; quẽadmodum animaduertit Glosa Ordinaria, Lyra, & Abulensis hic; quibus Hebræis adhæserunt Caluius, & gregales, & Kemnitius nihil sacrum, & mysticum in hac oblatione inueniri patientes. Itaque epulum suis conuiuis simile intelligunt. Quæ certè interpretatio inepta est prorsus, & absurda; vti demonstrant nostri, ac imprimis Lyra, & Abulensis, & Cornelius. Patet que ex ipsomet textu qui sic habet n. 24. *exceptis his quæ comederunt iuuenes* scilicet de præda quã receperant n. 16. *Reduxit* (Abram) *omnem substantiam, & Loth fratrem suum cum substantia illius*. De hac itaque manducauerant; & saturi non indigebant illo Pane, & Vino Melchisedechi. Sed isti hęretici illos milites de se æstimant, & cum tam sint voraces, vt nunquam saturentur, iudicant alios nunquam saturari potuisse: etsi oppiparè manducassent. Noui quo de grege sint, nempe haræ, non Aræ addicto. Euertunt sacrificium, inducunt symposium, Litant Libero, non Christo. Sed nos aliud agimus, & cum Catholicis disputamus, qui Typum hic Eucharistiæ agnoscunt, & reuerentur vti persuadent phrases: Hebræa *Hotsi*; Græca 70. *exingene* Latina *Proferens*, & ratio subiecta *erat enim Sacerdos dei Altissimi*. Quorsum enim id, si laicum agebat? & de prandio non de sacrificio cogitabat? & particula *ve &* habet vim causalem *quia, nam, quippe erat Sacerdos*: cui particulæ concinit Dauid Psal. 109. *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Et Pau-

lus ad Hebr. 7. *Sacerdos Dei summi*. Igitur aliquod exercuit munus Sacerdotij. Nullum autem in Scripturis apparet aliud nisi hoc Sacrificium.

Ad institutum. Aggredior probare, Panem, quem protulit Melchisedech fuisse Azymum non Fermentatum: vti cuipiam fortasse videbitur Panem legenti. Locus est coniecturalis: nihil enim certum, & definitum, nec in textu, nec in commentarijs habemus. Pono primum illustre hoc Augustini testimonium ex

August. lib. 16. de Ciuit. c. 22. *Ibi primum apparuit sacrificium quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impletumque illud quod longe post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum qui fuerat venturus in carnem; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Augustinum sequor coniiciendo. Prima coniectura esto; qualis Sacerdos, talis hostia ad Sacrificium esse debet. Sacerdos sine vllo semine satus, & natus, citra commistionē Patris, & Matris, nullis progenitoribus, nulla prole, quę generetur, quæ corrumpatur: iuxta Paulum Hebr. 7. *Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia*. Hic similem sui hostiam exigebat, Azymum videlicet Panē, sine mixtura, sine genitura, sine corruptione Fermenti, purum, simplicem, panem virgineum quiddam præseferentē. Nō eo dico quod Melchisedech homo non esset, sed quod in sacris litteris eius origo nulla tradatur: ac vltra hominē existimetur, quòd Filiū Dei assimilabat. Cuius item Panis Azymus typus erat, quod Xp̄us. Deus A matre; Homo A patre, sine mistione est.

Secunda. Panis hic erat proprius Sacrificij, oblatus, & probatus à Melchisedecho, tanquam Sacerdote Dei Altissimi, siue summi, vt ait Paulus, qua ratione debuit

esse

esse Azymus non Fermentatus: nam Fermentatus erat Panis laicus, & communis, mensæ profanæ proprius, vsualis, minimè Sacerdotalis, traductus ad conuiuium, ad sympofium: extra Altaria: non *Dei altissimi* sed hominum ex genere infimorum, cuiusmodi sunt Laici, à quibus Fermentati panes Laici in sacris litteris nuncupantur. *Non habeo Laicos panes ad manum*. 1. Reg. c. 1. Haud decebat Sacerdotem Diuinum Panis humanus. Azymus decebat. Sacer, candidus; Aris deuotus; Angelico Manna similis. Plane sacerdotalis.

Tertiò. Nomen Dei toties vsurpatum, toties repetitum: in hac oblatione Melchisedechi, quod ter inuenitur Genes. 14. bis Hebr. 7. persuadet hoc sacrificium esse proprie oblatum Deo, ac ei soli dicatum. Igitur Azymi esse debuit, non Fermentati: si enim Deus in synagoga relegari iussit Fermentatum à suis Altaribus, nec eo sibi litari est passus, quomodo in hoc vnico, & singulari sacrificio ante Synagogam instituto, & ad significandum Christi Filij sui in lege Gratiæ sacrificium, Fermentatum Panem offerri pateretur. Non ea prærogatiua donandus erat Fermentatus Panis, vt primum sibi typum Eucharistiæ uindicaret.

Quarta ducitur ex illo termino *Altissimi*; Græce *ypsistu summi* apud Paulum; qui certè indicat eum Panem altius, & sublimius, quam quò tenditFermentatus spectare. Nam superius nititur ascendere, cùm Fermentatus, qui in uentrem descēdit, in imum uergat, tanquā cibus communis cuius, concoctio fit in stomacho, & ibi consistit. Alienum hoc est ab illa mensa Altissimi, quæ Panem exigit leuem, & subtilem, qui ascendat, & in quo ascendat sacrificium.

Vbi

vbi etiā notandum quod Melchisedech hoc loco Rex & Sacerdos dicitur, & in Genesi ponitur vox *Cohen*. Quæ Principem item significat, quasi hæc mensa Principis Ara sit sacerdotis; mensā autem Principis decet ille Panis, qui instar sacrificij ascendat non descendat: cuius concoctio non fiat in stomacho, per vsum & esum; sed in cerebro per considerationem, & contemplationem; quemadmodum edocemur Prouerb. 23. *quando sederis vt comedas cum Principe attende; & statue cultrum gutturi tuo*. Mirùm: quomodo in conuiuio Principis conuiuæ obtruncandi veniant, non saginandi? quando apponendus est culter gutturi quo iugulentur; non patina qua nutriantur. Qua ratione victimæ, & hostiæ sunt futuri, non conuiuæ: morituri, non victuri. Rem tene: quorsum hæc tendant video. Illa mensa Principis est Eucharistica, & Azyma: in ea qui manducatur Panis, est celestis sursū ascensurus in caput, & ibi concoquendus per attentionem. Attende; per contemplationem, quæ opus est Cerebri: non stomachi, nec ventris, quò non descendit, nec demittitur, sicuti Panis Laicus, & communis. Superuacaneum ergo est, reliquum corpus; appone cultrum gutturi, & iugula te conuiuam. Maneat solum caput: truncus corporis abijciatur; solum caput satis est tibi ad eum cibum recipiendum, & concoquēdum. Cerebri opus illud est, nō stomachi. Trūco non est opus ad vsum nec ad esū Panis Principis; ad Princeps menbrum, idest caput spectat; sursum fertur, non deorsum. Manet intra caput: in cerebro concoquitur, & consumitur. Igitur cōmunicaturus tibi

per-

persuade perinde esse manducare, ac iugulari, cùm illo tu cibo non sis vsurus tanquam alijs cibis communibus, qui per guttur descendunt ad stomachũ, & ventrem, sed longe alio, ac diuerso modo, vt per os ad caput sit reuocandus, & sursum ad cerebrum transmittendus. Solius tibi capitis ratio est habenda, corporis negligenda, quòd sit ineptum, & inutile pondus.

Quinta sumitur ex Christi Domini sacrificio, & quo ille Pane vsus est, cum ipsum Melchisedech protulisse existimandum. Ex Psalmo 109. constat Christum Sacerdotem fuisse secundum ordinem Melchisedech; & quem is in Sacerdotio suo sacrificij ordinẽ tenuit, eo Christũ sacrificasse. Sacrificauit autẽ Christus in Azymo, ergo & in eo Melchisedech sacrificarat. *Ordinem* intellige qualitatem, & modum sacrificandi. Duo sunt autem ordines: vnus Cruentus, alter Incruentus. Hunc habuit Melchisedech: eum Christus seruauit Eucharistiam conficiendo. Rursum duplex est ordo, seu qualitas Panis: nam perinde est latinè qualitas, & ordo. Nimirum Azymi, & Fermentati. Videamus: vtrum Christus elegerit Azymum? Sanè: igitur eum elegerat Melchisedech: & secundũ eum Christus sacrificauit. Sin secus, Christus non seruauit ordinem sacrificandi, quem Melchisedech tradiderat, vel figurauerat; cum Melchisedech fermentatum adhibuisset sacrificio, Christus verò Azymum apposuisset. Nec opponat quis *ordinem* intelligi *ordinationem* siue dignitatem: nam Christus erat in eo singularis, cum esset Deus, & vnctus natura, Filius

Nec

Dei naturalis: qua ratione non poterat dici *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, qui erat purus Homo. Nec rursus obijcias ordinem referri ad Æternitatem: quia Propheta cecinit *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, & Paulus dixit *Secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum*. Nam æternitatem non habuit Melchisedech, qui homo erat Mortalis: igitur non secundum eum fuit Christus æternus Pontifex, Æternus Sacerdos. Æternitas Sacrificij spectanda, ex natura Azymi petita, qui Panis est incorruptus, & ad sacrificium incruentum assumptus extra mortalitatem: ideo Christus illud retulit ad Beatitudinem, & Regnum Dei sempiternum *donec bibam illud nouum in Regno Dei*. Quare secundum eum ordinem incruenti in Azymo sacrificij typum habuit Christus Melchisedechum.

Sexta colligitur inde, quòd qui primus in Sacra Scriptura Deum nominauit *Creatorem*, teste Abulensi hoc loco, fuit Melchisedech: *Qui creauit Cælum, & terram*. Creare autem conuenit potius Pani Azymo, quàm Fermentato, qui multipliciter est compositus, & sapit generationes, & corruptiones. Propterea is qui Verbum Creare sonabat, aliquid creationi simile in manibus retinebat; non Fermentum; ergo Azymum, qui Creationem redolebat. *Abulen.*

Vltima deducitur à contrario sensu, qui est Hæreticorum, & Iudæorum locum de Pane vsuali, & fermentato intelligentium; qui eum sensum suspectum faciunt. Vindicãdus igitur est, & ad Azymum transferendus, ne si eum Fermentatum affirmemus, & Hæ-

braei

bræi sacrificium tollant, & Hæretici ad symposiacam mensam detorqueant. Et quidem de his hactenus.

Caput XVI.

Vter Panis: Azymus, ne an fermentatus aptior; & conuenientior sit natura, & significatione ad consecrationem Eucharistiæ?

TAmetsi apud Eminentissimum Dominum Cardinalem nulla, vt erat doctus, & prudens, in horum inter se Panum collatione reprehensio, aut contemptio Azymi præ fermentato inueniatur, quia tamen Græci, quos Aduersarios habemus, conantur fermentatum Panem Azymo præferre, imo & eum solum aptum, & idoneum, atque adeo verum Panem appellare, quasi alter Azymus non modo ineptus, & inutilis, sed etiam nullus propè habendus sit Panis, necessarium duxi pauca de eo ad finem huiusce disquisitionis differere.

Et quidem primi Azymorum, & Azymitarum hostes, Michael Cerularius, & Nicetas Pectoratus in suis scriptis, de quibus hoc in opere commemorauimus, hoc in primis argumento vtuntur quòd, Panis Azymus vix eo nomine dignus sit; ac multis eum insectantur modis, vt ineptum penitus ad Sacrificium reddant. Itaque illa amborum scripta pro fermentato totidem sunt in Azymum inuectiuæ. Contraho manum, & premo, quæ illi plena dilatant. Aiunt Azymum Panem *Arton* Græcè vocari, idest eleuatum,

surgentem in altum, turgidum, à virtute fermenti inflantis, & attollentis, quæ etymologia non cadit in Azymum humilem, depressum, planum. Fermentatum, domesticum, & vescum, & propriè cibum esse, victui vitæque accomodatum. Azymum insolitum, insuauem, alienum; neminem eo vti ad victum, & alimoniam. Fermentato inesse robur, vim, saporem, decorem, formam, molem, quæ Corpori Christi repræsentando conueniat. Azymum tenuem ieiunum, insipidum, mæstum, leuem, Corpori, in quod conuerti debet, dissimilem. Panem fermentatum eum esse, de quo Christus dicit *Quotidianum*, idest vsitatum, communem, domesticum, qualis non est Azymus, extra morem, præter mensam, contra vsum; sepositus, solitarius.

Sumus, inquiunt, in mensa, sumus in conuiuio spirituali, seruanda est proportio. Ecquis vnquam in mensa, in conuiuio Panem Azymum vsurpauit? Arcendus est igitur ab Eucharistia, vbi cum Christo conuiuamur. Vbi consecratur verum vinum, uerus item Panis consecretur, idest Fermentatus, qui uino respondeat, & symposio conuiuium accommodet; & mensa constet ad esum, & potum comparata. Hæc Græci eleganter, ac tinnulè iactant pro Fermentato Pane, ingeniosa, & exaggerata dictione. Ita Euthymius, Nicephorus, Xantopylus, Blastarius, Hieremias, post Michaelem, Nicetam, Leonem Acridanum, & alij apud Anselmum. Quibus cum Magdeburgenses Azymi hostes consentiũt, & quotquot Hæreticorum cœnam suam saginam faciunt admisso fermen-

men-

mento, excluso Azymo, minimè ad gustum acuendum, & uentrem replendum accommodato. His iam olim rectè, ac doctè respondit Leonis IX. iussu Humbertus contra Græcorum calumnias, refellens tamquam frigidam, & futilem rationem ab eleuatione Panis desumptam, & ostendens, tum in ueteri, tum in nouo Testamento utrumque Panem, Azymum, & fermentatum, uno, & eodem Panis nomine, tum Hebraicè, tum Græcè appellari. Quod accuratè, & eruditè præstat Lorinus in Leuiticum. c. 23. & ego obseruaui ad locũ Deuteronomii. c. 16. uersu. 3. Hebraicè, Græcè, & Latinè Azymus Panis dicitur, idem notaui ad locum Matthæi. 26. & apud Lucam. c. vltimo, & alibi. Ac ne repugnent Græci Theodoretum eis obijcio, qui in caput decimum Danielis, vt probet eum ieiunantẽ Pane etiam Azymo abstinuisse *Panis*, inquit, *& non fermentatus, & fermentatus vocatur*. Vellem hic afferre locos textus Hebraici, & Græci, sed typi desiderantur, Credant Lectores homini, vtriusque linguæ si minus perito, certè non ignaro. Hoc in sacris. Quòd si profanos consulamus Auctores, non desunt, qui Azymum propriè *Panem* dicant. Tryphon in suis Pythicis Panem diuidit *in Azymum, & zymitem*, hoc est fermentatum. Tacitus lib. 5. historiar. *Panis*, inquit, *Iudaicus nullo fermento detinetur*. Græcorum ora obturat hoc testimonium Taciti. Accedit Plinius, qui lib. 18. ait *validiora sunt Corpora, quæ fermentato aluntur*, quo indicat alterum Azymum Panem esse. Lib. 22. ait. *Fermentatus, qui vocatur artopyris, vtilior sanè, quam Azymus*. Huc faciunt quæ de mæza

Humb.

Lorinus.

Theodor.

Tryphon.

Tacitus.

Plinius.

Pollux. Athenæus. Hippocr. Galen.

Pollux, & Athenæus scribunt, quæque Hippocrates lib. 2 de diæta, & lib. de victus ratione in morbis acutis numero 18. tradit, & ibi commentatur Galenus. Constat igitur de Etymologia panis Azymi, & tumor ille panis fermentati, ne Azymo noceat, euanescit. Cæterùm rectè Græci fermentatum inducerent, si de geniali sympòsio hic ageretur ad luxum, & saginam comparato, quale instituere cum Caluino Heterdoxi solent in sua cœna, quam Dominicam dicunt: Basilicam, & Pontificiam possent appellare in qua non corpora castigantur, sed impinguantur: non mentes erudiuntur, sed ventres distenduntur; vbi non aræ eriguntur, vt Agnus immoletur: sed haræ ponuntur, vt sues volutentur. At hic agitur de spirituali conuiuio, de sacra Christi mensa, non vt Corpus Christi conuertatur in panem, sed ut panis in Christi Corpus transmutetur. In Altari sumus, non in popina. Panem laicum non quærimus, ut manducemus, sed religiosum, ut sacrificemus, eoque in Corpus Christi conuerso reficiamur. Ad hoc vero munus præstandum non ineptum fermentatum, cùm verus sit panis, ac in eo confici possit ducimus; sed congruentiorem multò, & aptiorem Azymum existimamus propter multas, grauesque rationes, & supra tactas, & infra adducendas.

Ac primùm duplex data lex fuit Iudæis ex Ægypto in terram promissionis egressuris. Vna Exodi c. 12. vt cum paschali agno Azyma vescerentur, altera

ibidem n. 15. & 18. & c. 13. n. 6. & 7. vt septem proximis deinceps diebus ea comederent. Hinc causæ Azymi statuendi, & fermento præferendi. Acceptis legibus exierunt de Ægypto festinanter vrgentibus Ægyptis, & farinam secum tulerunt absque mixtura fermenti: quam postea coxerunt, & fecerunt subcinerios panes Azymos, quos manducarunt Exodi c. 12. n. 34. & 39. Apparet Azymi præstantia. Ecce libertas à seruitute, depulsio vetustatis, expedita ad Cælum via, humilitas cinericij cibi, afflictatio gulæ ab insipido pane, quæ omnia sapiunt cælestia, & continent diuina. Ita Glossa interlinealis: *Igne Spiritus Sancti ardentes, noua conspersio, & Azymi, exeunt de Mundo in humilitate cinerum, ne corrupantur Fermento peccati sine corruptione*, inquit, *vanagloriæ per bona opera*. *Glossa Interlineal.*

Qualia significant Panes Azymi, vt ait Glossa eodem capite n. 8. Omnia gratiã Eucharistiæ redolent; à cuius significatione fermentum abhorret, eadem Glossa interlineali Auctore ibi. n. 15. ad illud: *Non erit fermentum in domibus vestris*, vbi sic: *Corruptio peccati*; Ter proscribitur fermentatum, & abijcitur, ac repellitur n. 15. n. 19. n. 20. quia non solùm peccati symbolum est, sed etiam peruersæ doctrinæ. Vnde rursum Glossa n. 19. *Qui comederit fermentatum peribit anima eius. Dolo*, inquit, *& errore Doctrinæ*; Propter hanc rectam, & ueram Azymus in Ecclesiam, unde fermentatum expellitur, meritò introducitur; hinc illud. *In cunctis habitaculis vestris, edetis Azyma. Ecclesijs, vel diuersis ordinibus*;

idest sacris cætibus, vel synaxibus propriè Eucharisticis. Has virtutes per Azymum Panem significatas eleganter decribit Nicolaus Serarius in cap. 5. Iosue q. 34. *Azymus Panis simplicior est; nulla ne accidentali quidem corruptione corruptus, depressus semper, & humilis est, nullo fermento intumescens, seseque offerens, sapore dulcis, & parabilis est: ita ij, quos Sanctus Paulus. 1. Corint 15. esse Azymos vult, licèt commoda minus augeant, quin ea etiam imminuant, & extenuent, esse tamen debent simplices, sinceri, demissi, suaues, faciles, tractabiles.* — Serar.

Magna item prærogatiua est Azymi, quòd is significet Sacramentum Pænitentię, quo ad præparationem Eucharistiæ opus est, & idcirco Panis *afflictionis, & doloris* dicitur in sacris literis. Deuteronom. c. 16. *Comedes afflictionis Panem, arton cacoseos*. Sanè proprium, vt ait Glossa interlinealis, *vallis lacrymarum* dolore contritionis subactus, & charitatis opera confectus. Propterea Abulensis Exodi 12. quęst. 11. *Sunt*, inquit, *Azymi Panes valde nociui stomacho, & graues: ideo vocatur Panis afflictionis Azymus*. Caietanus vertit *Panis paupertatis*, quæ vexat, & cruciat hominem, & ad postulandam gratiam compellit. Aliam prærogatiuam proponit Abulensis, qui obseruat Angelos eo Pane delectari; nam Abraham Azymis subcinericijs Panibus Genesis 18. acceptos in hospitium Angelos recreauit, *inuitans eos*, inquit, perinde ac quiddam in eis Ambrosium, & Nectareum inesset. Iungamus vtrumque locum Genesis, & Deuteronomij. Illa Pœnitentia per Azymos significata purgabat peccatores à culpis, & Angelos quodammodo efficiebat, quales Abraham inuenit. Audiamus Glossam ordinariam — Glossa Interlineal. — Abul. — Caiet. — Abul. — Gloss. ord.

nariam super hunc locum 18. Geneseos super verbo *Subcinericios* Panes. *Subcinericij sunt, vt per pœnitentiam delictorum, spiritus Sancti vapore decocti esca Deo acceptabilis efficiantur*. Alia item, & obseruatione digna Panis Azymi prærogatiua est, quod ei successerit Manna Panis Angelorum, Eucharistiæ figura, vt demonstraret Deus, quanta esset Azymi Panis cum Sacramento Eucharistiæ coniunctio, & connexio. Quæritur curiosè, & piè. An Hebræi vsi fuerint alio Pane quàm Azymo post egressum ex Egypto, vsque ad esum Mannæ? Et respondetur ab eruditis nullo alio fuisse vsos. Patetque ex supputatione dierum, & obseruatione locorum: quemadmodum probat Serarius ex Iosepho lib. 2. c. 5. collato loco Exodi. 12. n. 19. hoc argumento. Per dies totos triginta, nimirum à decima quinta primi Mensis ad decimam quintam secundi abstinuerunt fermento, & comederunt sola Azyma, vti etiam docet Iosephus. Die autem decimo quinto secundi mẽsis venerunt in desertum *Sin*, vbi Manna de Cælo cecidit: non sine Dei prouidentia, quæ tempus, & locum ita disposuit, vt nulla fermentati Panis comestio, intercurreret, donec Manna Eucharistiæ symbolum è Cælo descenderet, Azymoque succederet, quemadmodum in Altari Pani Azymo Christi Corpus per transubstantiationem succedit: desinente Azymo, Corpore Christi in eius prorsus pereuntis locum veniente. Quid? quod Manna hostimentum, & antidorum Azymi quoddam fuit. Nam quòd Angeli à Parente Hebræorum Abrahamo excepti hospitio Pane Azymo sunt refecti,

Serar.

Ioseph.

pro-

propterea ijdem eiusdem filios Hebræos in deserto peregrinantes Manna cælesti Pane pauerunt, iustaque Azymi compensatio Manna extitit. Tanti Azymus æstimandus.

Iam verò Azymus simplex, & sine mixtura fermēti Panis, duo quædam mysteria significat, quæ magnum in sacris pondus habent. Simplicitas quidem veritatem, & sinceritatem præsefert: non est duplex, nec aptus ad fallendum: procul à dolo, & fraude. Vnde à Paulo *veritatis*, & *sinceritatis* index, & symbolum dicitur. *In Azymis*, inquit, *sinceritatis, & veritatis*. 1. Cor. 5. sine mixtura, vt purum Virginis vterū, in quo Panis diuinus Christus confectus à Spiritu Sancto, & conceptus est, indicaret, & ipsiusmet Corporis Christi incorruptionem innueret. Itaque Virginitatem Matris, & integritatem Filij significabat. Accedit natiuus ille candor huiusce veritatis, & incorruptionis index. Expendo singula. Veritas, & sinceritas à Paulo Azymo tribuitur; nam, vt ait Interlinealis eo in loco 1. Cor. 5. *In sinceritate, & veritate, quæ per Azymos signantur*. Et Lyra *In Azymis, quantum ad puritatem affectus, & veritatis quantum ad puritatem intellectus*. Nec intellectum fallit, nec affectum deludit. Sincerus, & verax, non falsa, non fucata proponit. Panibus illis propositionis omnino similis, qui *Panes facierum* Hebraicè dicuntur, quòd sola facie constant, eamque semper ostentant, sine vllo dorso doli, aut fraudis. Nihil in eo Azymo aspicias nisi faciem. Volue, muta, uersa, faciem semper reddit, dorsum nunquā; Facierum Panis est, ob ueritatem, & sinceritatem.

Interlin.

Lyra.

Caret hic Panis alijs membris, & partibus, nequid tegat, nequid abſcondat. Artus, & aſtus non habet. Simul ac Chriſtus in Caſtello Emmaus confecit in Pane Azymo, & Euchariſtiam fecit, ceſſauit fictio viæ, & veritas perſonæ apparuit. Faciem, quam Chriſtus antea velarat, prodidit, & vultum reddidit; *Cognouerunt eum in fractione Panis*. Suauiter in ſuis in fidibus Lyra cecinit cum ita ſonuit. *Oſtendit ſe eis in effigie, quæ erat cognoſcibilis*: Reddens faciem quam ſubtraxerat. Vide quanta ſit Azymi conſecrati virtus? Cum velabatur, & occultabatur ſub Azymo deponebat perſonam, ſeque aperiebat: anteà cum apertus erat minimè agnitus: modò cum tectus ſpecie Azymi apertus, & notus. Panis ille erat *facierum*: expoſuit faciem Chriſti. Magna fides Azymi, non patitur dolum, non fert perfidiam. Vixdum acceperat Iudas conſecratum Azymum, cum ſenſit vim Panis accepti: non potuit conſiſtere. Proditor, & perfidus expertus eſt intra ſe pugnam Panis fidelis cũ ſua perfidia. *Poſt buccellam exiuit continuò*. Inquietus, turbatus, vexatus, donec ad laqueum compulſus gulam ſibi fregit, & crepuit. Vide iuſtum ſupplicium inflictum ab Azymo: gula in eum peccauit: gula paſſa eſt pœnam perfidiæ. Panis fractus à Chriſto gulam fregit proditori. Crepuit venter in quem Azymus ille Panis inciderat: cuius fides ſtare non potuit cum illa fraude proditoris. Pateat Iudæ perfidia patefactis viſceribus ab Azymo, quem in ſtomachũ receperat diſruptis, & proiectis, per terramque ſparſis, vt palàm fierent, & omnium oculis exponerentur. *Idem.*

Quòd attinet ad symbolum Virginitatis Mariæ, & incorruptionis Corporis Christi, facit illiud Canticorum 7. *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs*. Liliorũ candor redolet Azymum. Flores delicatissimi, florem tritici, ex quo Azymus conficitur, repræsentant; Decebat hic flos farinæ illum Ventrem Virgineum, quem Spiritus Sanctus obumbrarat: in illum aceruũ triticeum Columba Diuina descenderat, ut rostro suo formaret Corpus Christi purissimum, & ad Azymum Eucharisticum informaret. Triticeam hic esse refectionem docet nos Glossa ordinaria uallatam liliorum corona orbiculata, idest Azymi Hostia. Hic ponitur *Crater tornatilis* in umbilico propter Calicem consecratum ad iustam in utràque specie consecrationem Eucharistiæ, ac id circo *Indigens poculis*; quia Hostia ut sit perfectum sacrificium expectat Calicem, quo ratio completur sacrificij. Æternæ charitatis pignus hoc in loco agnoscit Glossa. Omnia sonant Corpus Christi Eucharisticum in Vtero Virginis conceptum, & confectum igne Spiritus Sancti. *Ibi coctus est Panis iste*, ait Bernardus sermone secundo in Natali Domini. *Hunc cibum*, inquit Petrus Damianus, *Maria edidit, qui nobis cælestis conuiuij aditum patefecit*. Ibi umbra Spiritus Sancti obumbrans Virgini, uelum specierum, quo Christi Corpus in Eucharistico Azymo tegitur, referebat. Purus Azymus Virgineum Vterum decebat. Lilia Azymorum candida aceruum illum triticeum custodiebant uallo floridi candoris obducto, & obiecto. At quomodo uallabant lilia? Quì custodiam agere possunt delicati, & innocentes flores?

Bernard. Petr. Dã. Cant. 7.

flores, tela non habent, vt Satellites sit. Dicam. Non defendunt Satellitio, sed patrocinio. Non sola arma tuentur ab hoste, & arcent aggredientes. Candor ille liliorum, quæ vallum formabant, & in orbem ducta cingebant, aceruum triticeum tuebantur pudore, decore, odore: non terrore, non vi: non armis; reuerentia, non violentia: dehortando, deprecando, non deterrendo, non feriendo. Ecquis erit, qui audeat vexare, conculcare, lacerare lilia, & orbem illum floreum procaciter inuadere, fædè proruere, crudeliter prosternere, immaniter dissipare? Vt sit ferus, vt sit atrox, vt sii immanis aggressor, ad conspectum mollissimi floris decore suo blandientis oculis, & odoris fragantia demulcentis nares reprimetur, refrenabitur. Deprecabitur pulcherrimus flos iniuriam, auertet violentiam, tutam, & intactam custodiam præstabit; non satellitio se defendet, sed illicio, & delicio: Pudoris compedes, reuerentię manicas inijciens hosti, ne se moueat, ne se expediat ad inferendam iniuriam. Nihilo item minus custodit amor florum, quàm terror armorum. Id circo locus, vbi custoditur Eucharistia, vulgò *Custodia* numcupatur, & ipsa est Sacramentum amoris.

Iam verò integritas, & incorruptio Corporis Christi per eundem Azymum significatur aptissimè. Fermentum corrumpit massam. Propterea corruptionis est signum. Azymus fermenti expers, incorruptionis est symbolum. Sacrificium incruentum præstat, quod nec occidit, nec occìdit, sed manet, & seruat, & offert vitam; mactatur citra sanguinem. & ma-

ctam victimam reddit, non immolat, nec vita priuat, frangitur in eo Christi Corpus, specie, non re; mysterio, non vulnere. Manet Christi Corpus integrum cùm Azymus in partes secatur. Accidit fractura accidenti, non Corpori. At hoc etiam conuenit fermentato consecrato. Fateor, sed obseruo cum fermentato introduci ferrum in Altare, & lanceolis Panem incidi iam consecratum, quod Azymus non permittit.

Quid? quòd videtur Azymus aliquid contulisse
Exod.12. ad Corporis Christi integritatem. Agnus ille assus Eucharistiæ typus, cum Azymo edi solitus, fracturam ossium non ferebat, *Os non comminuetis ex eo*. Quasi Azymi panis societas ad integritatem proficeret. Apparuit in Cruce mysterium. Frangenda erant Christo crura iuxta legem crucifixorum. *Vt frangerentur eorum*
Ioan. 19. *crura*. Hanc legem ille morte præuertit: integro manente corpore Azymi interuentu; quem Christus in cæna fregerat *Accepit panem, & fregit*. Suscepit in se fractionem Azymus, ne in Corpus Christi crucifixi fractura transiret. Fractio, fractionem anteuertit, & suppleuit. Non defuit illud vulnus Sacrificio Christi auido tormentorum, quæ sitiebat. *Sitio*. Venientibus ad frãgenda eius crura tortoribus non se subtrahat Christi Corpus, ne vulnus videatur vitare. Iam illud præceperat in Azymo Eucharistico, qui fractus in Cænaculo, vulnus fractionis in Caluario, vel supplebat, vel compensabat. Propterea Corpus Christi Crucifixum Panis nomine appellatur, cum ad eius ossa frangenda ligna milites attulerunt: lignis quippe

illud cruri fragium fieri solitum. Hinc Propheta Hieremias *Mittamus lignum in Panem eius*. Cur ergo tunc Corpus Christi *Panis* appellatur, cum ligna ad fractionẽ afferebantur? nimirum, quia vulnus illud lignorum opera inferendum Corpori Christi Crucifixi, inflictum fuerat Corpori Christi Eucharistico. Tunc missum fuit lignum in Corpus eius ad fracturam, cum fractus fuit Azymus in Eucharistia. Illatum quodammodo vulnus est, sed mansit Corpus integrum, & inuiolatum.

Alia item est Azymi prærogatiua Christi cõgruens Corpori, videlicet, quòd fuit, estque Panis Viaticus, quo nomine venit Christi Corpus in Eucharistia, cùm summa est necessitas illius Sacramenti, ad viam æternitatis ineundam. Eo præsidio muniuntur Animæ de corpore egressuræ. Pro viatico Eucharistia ijs datur, cum proficiscuntur è Mundo *Accipe Viaticum Corpus Domini nostri Iesu Christi*. Conuenit hæc nomenclatura Pani Azymo à primis eius incunabulis. Tunc Panis Azymus instititutus, ac præceptus cum filij Israel erant in procinctu ad iter. Exituri erant de terra Ægypti, viam adornabant, vasa colligebãt; Azymus ijs Panis pręscribitur: *Comedetis Azyma*. Exodi 12. *Fermentatum non comedetis*; Edebant more viatorum tenentes baculos in manibus, accincti ad iter: *Renes vestros accingetis*, Sic natus Azymus lege planè uiaria institutus, ac præceptus. Sic adultus in deserto peregrinando, certè uiatorius: ut egregie dixerit Lyra Exodi 12. *Ratio huius fuit, quia erant in itinere positi*. Hoc autem ad Eucharistiam Glossa Mora- *Lyra.* *Gloss. Mor.*

lis

Iis accommodauit eodem loco Exodi *Sumentes*, inquit, *Eucharistiæ Sacramentum debent esse parati ad ambulandum in via morum*, siue amorum rerum diuinarum. Hac ratione Christus in suo illo Phase, idest transitu ad Patrem, ut animaduertit Ioannes *Ut transeat ex hoc Mundo ad Patrem* instituit Sacramentum Eucharistiæ in Azymo, ut abeundum sibi esse significaret, nosque doceret illud Sacramentum uicarium esse Panis Azymi primi à Deo instituti in Paschate antiquo, ut uiatici uicem præberet hominibus supremum illud iter ingressuris, ac de hoc Mundo ad alium transituris. Idque confirmauit figura, & exemplo, figura in Elia, cum eum subcinericio Pane Azymo Angeli opera pauit. 3. Regum 19. & ingens quadraginta dierum iter indixit. *Grandis enim tibi restat via*; tanto Azymi cælitus præparato digna Viatico. Quid enim aliud ille Panis Azymus de repente confectus, nisi Eucharistiam designabat, cum uiatici loco morituris præbetur? Ita exponente Glossa morali eum locum *Comedit Elias Panem, idest Sacram Eucharistiam*, & coniungit cum illis uerbis, *grandis enim tibi restat via, quasi diceret*, ait Glossa, *ipsa est tibi viaticum ducens ad Patriam*. Quid manifestius? quid in rem Azymi uiatici congruentius? Adijcio momentum ex Luca. c. ultimo, in quo ipsemet Christus Discipulis in Castellum Emmaus euntibus comitem se itineris dedit instar peregrinantis in uia. *Ibat cum illis*. Pignus hæc uia Eucharistiæ fuit, quam meditabatur Christus cum uiatoribus uiator. Euentus probat indicium. Cum se maximè peregrinum esse monstrabat fingens se longiùs ire, &

Ioan. 13.

Gloss. 1.

maiore

maiore circuitu vti volebat, tunc se ad Eucharistiam consecrandam parabat; nam mox vt accubuit confecit, & quidem in Azymo frangens Panem diuinum, quem Discipulis adhuc è via anhelantibus porrigebat ipse peregrinus, vt inquit hoc in loco Glossa ordinaria, *Verè Christus peregrinus erat iter facientibus*, & antequam accumberent mensæ, & post mensam in viam redituris. *Ibant. Regressi sunt*, vbi obseruandum Euãgelistam dixisse *Surgentes eàdem hora*. Non sederunt: non sunt morati: statim susceperunt iter, in viam se dederunt. Erat illa virtus Panis Viatici in viam compellentis, vt viatorium Sacramentum se ostenderet, ac probaret. Ideo toties repetitur *In via, in via*, quæ nota proprietatem illam Sacramenti Viatici designabat. Ex hac Panis Azymi cum Christi Corpore comparatione apparet, quanta sit vtriusque inter se proportio, & conuenientia: vt mirè inter se congruant, & consentiant, & necessitudine quadam mirabili copulentur. A qua certè longe est fermentatum, cuius ego imperfectiones persequi nolo, quòd meum sit laudare, & asserere Azymum, non autem fermentatum vituperare, & ab Altari expellere, cùm verus sit Panis, & idonea materies Consecrationis, ac proinde inter Græcos vigeat, & à Latinis toleretur. Si quis tamen velit fermentati imperfectiones cognoscere, legat Epistolam. 6. Leonis Noni ad Michaelem Constantin. Humbertum tum in Dialogo disputationis Romani, & Constantinopolitani tum lib. Aduersar. Calumn. Græcor. Anselmum. De ferment. & Azymo Rupert. lib. 2. de Diuin. Offic. Alger. lib. 2. de

Gloss. ord.

Leo. IX.
Humb.
Ansel.
Rupert.

Sacram.

Sacram. Petrum Cellens. De Panibus. c. 3. & 4. Abulens 2. p. Defens. Alfons. Castro v. Euchar. & Commentatores Sacrarum litterarum in Exod. c. 12. & Leuit. c. 2.

Hactenus de laudibus Panis Azymi prærogatiuis, & significationibus illius, quæ longius produxi, quòd Græcos Schismaticos, & Heterodoxos Zuinglianos, & Caluinianos confutare volui, qui Auctore Cardinali Bellarmino lib. 4. de Sacram. Euch. cap. 7. *Fermentatum Panem aptiorem esse censent ad Sacramentum conficiendum, quàm Azymum, & Græcorum consuetudinem Latinorum consuetudini anteponunt.*

Bellar.

Quoad accurationem vero, & subtilitatem, imo & anxietatem tractationis, nemo miretur, tantum me in ea operæ posuisse, quod sciam eosdem Hæreticos, vt obseruat Gabriel Vasquez de Euch. disp 174. c. 1. hanc quæstionem contēnere iactando eam leuis esse momenti: Nec multum interesse ad Rempublicam Ecclesiasticam scire, vter Panis sit conuenientior, cum ea in facto versetur: ceu quæstiones de facto negligendæ sint, & minus diligenter tractandæ, quòd ad doctrinam minus pertineant. In quo ij & falli, & fallere nos volunt, cùm quæstiones huiusmodi de facto ius inuoluant, cumque eo sint omnino coniunctæ. Ac vt omittam totam historiam Scripturæ in facto versari, illa quæstio quot sint numero libri Canonici? ad factum spectat: eo conantur Heretici nonnullos tollere, eadem ratio est de institut. Sacram. Deque numero eorundem. Non igitur ius inuoluit? Petrus an fuerit Romæ? Quæstio de facto est. Id tamen dum

Vasq.

verum

verum eſse negat Caluinus ; molitur primatum Romani Pontificis euertere. Quadrageſimæ obſeruatio: Paſchatis celebratio ad factum, imo & ad tempus pertinent. Ius tamen ſecum trahunt. Liberij, & Honorij cauſæ, quæ in narratione, euentuque verſantur, ius infallibilitatis inuoluunt. An ſit Purgatorium? factum quæritur. An propterea à iure excluditur? Ceremoniæ Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis ad ritus ſpectant, negantur tamen cum offenſione iuris. Habitus & tonſura Clericalis infra ceremonias collocantur. Num idcirco negligenda? Hęc ipſa quæſtio de Azymo, & Fermentato anſam errandi Græcis præbuit, & Heterodoxis. Negarunt enim illi inſtitutionem Chriſti in Azymo, & Azymum verum eſse Panem inficiati ſunt, ac ex eo Sacramentum Euchariſtiæ Latinis ademerunt. Hi autem ſublato Azymo Euchariſtiam euerterunt, & epulum ex Fermentato, & laicam Cænam formarunt. Omnes traditionem neglexerunt; Decretalibus Pontificum fidem abrogarunt: conſtantem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ narrationem contempſerunt: à communi ſcriptorum conſenſu deuiarunt. Azymi introductionem Hæreticis attribuerunt, & ſanctum, & innocentem ritum temerarunt, dum eum ad ſymbolum & teſseram hæreſeon retulerunt. Hæc ne per imprudentiam Catholicis acciderent, hanc Diſputationem alacriter ſuſcepi, ſubtiliter examinaui, accuratè tractaui, operoſè compoſui, & quoad eius fieri potuit, accerſitis undique argumentis, & ornamentis confirmare, augere, & locupletare ſtudui pro meo in Eccceſiam Ma-

trem amore: in Summum Pontificem obſequio; in Sacram Rituum Congregationem officio; ad communem Fidelium Doctrinam; ad Christianæ Reipub. utilitatem.
Quicquid hic à me ſcriptum
eſt Romanæ Eccleſiæ
iudicio, ſicuti &
cætera omnia
hactenus
à me
tot voluminibus ſcripta reuerenter,
ac demiſſè, ac religioſè
ſubijcio.

FINIS.



INDEX RERVM.

siam

Con-

CONTROVERSIA.

CNRVSTA.

EBIONITÆ.

ECCLESIA.

EVCHARISTIA.

cha-

TER-

FINIS.



UB